

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**


**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Doctrina De Praedestinatione**

**Tossanus, Daniel**

**Hanoviae, 1609**

[urn:nbn:de:bsz:31-128980](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-128980)



60A 2690 R

Sum  
M. Caroli.

DOCTRINA  
DE PRÆDESTI-  
NATIONE, BREVIBVS  
AC PERSPICVIS QVÆSTIONI-

BVS COMPREHENSA, ET IN

septem capita distincta à

D. DAN. TOSSANO.

ADDITÆ SVNT AD  
CALCEM DVÆ EPISTOLÆ,

*quibus totidem Nic. Serarij Iesuitæ Mogun-*

*tini ad DAN. TOSSANVM lit-*

*teris respondetur.*



HANOVIAE,  
Typis Wecheliani apud Claudium Marnium,  
& heredes Iohannis Aubrij.  
M DC IX.



DOCTRINA  
DE PRÆDESTINA<sup>ti</sup><sub>ti</sub>ONE, BREVIBVS AC  
PERSPICVIS QVÆSTIONI-  
BVS COMPREHNSA.

SERIES CAPITVM.

I.

*An hac doctrina necessariò in Ecclesia sit tradenda.*

II.

*An consentiens sit Orthodoxorum de hoc dogmate sententia, & quid de diuersitate sententiarum sentiendum.*

III.

*De duplici Methodo tradenda huius doctrina: unâ pro infirmis & ἀπαρδ ὄρισ: alterâ pro iis, qui sunt ἀπαρδευμένοι, & que in Scholis tradi solet.*

IV.

*De aliquot vocabulis pertinentibus ad hanc doctrinam: Providentia, Præscientia, Decreto, Prædestinatione.*

V.

*De re ipsa siue Prædestinatione tum sanctorum tum reproborum: & quid hac de re tradat Scriptura.*

VI.

*De obiectionibus præcipuis contra hanc doctrinam.*

VII.

*De usu & recta applicatione huius doctrina.*

*Estne in Ecclesia necessario tradenda doctrina de Prædestinatione?*



Tamen quidem sentio.

*Quibus autem rationibus id demonstrabis?*

1. Omne dogma, quod disertis verbis in scriptis sacris nobis proponitur, ad Ecclesie edificationem facit, iuxta illud 2. Tim. 3. *Tota scriptura diuinitus inspirata utilis est ad doctrinam, &c.* Atqui doctrina de Prædestinatione, siue vocabulum, siue rem ipsam atque adeo usum spectes, luculenta habet in Scripturis testimonia, nominatim Rom. 8. 9. 11. Ephes. 1. Ergo merito tradi & considerari debet.

2. Omne dogma, quod nobis confirmat & explicat articulos fidei aut eorum est appendix, necessarium est in Ecclesia. Doctrina de Prædestinatione est appendix, imò quasi basis trium præcipuorum articulorum fidei. Ergo est omnino tum utilis tum necessaria.

*Cedo quorum?*

Articuli primi: *Credo in Deum Patrem, omnipotentem, &c.* in quo includitur divina providentia, cuius pars est Prædestinatione: quò respiciens Apostolus Rom. 9. 20. inquit: *Num dicet figmentum fictori, cur me finxisti ad hunc modum?*

Deinde articuli, quo credimus Ecclesiam, quæ proprie communio sanctorum, siue ut Ioh. Hus definebat, cætus Prædestinatorum & Vocatorum, discretus à cætu reprobatorum & impænitentium, sicut rursus docet idem Apostolus Rom. 11. 2. nunquam à Deo abiici populum, quem elegit, id est veram Ecclesiam.

Tertiò articuli de remissione gratuita peccatorum, ut ex eo toto c. 9. ad Rom. colligimus, nominatim ex vers. 15. 16. Quod etiam copiosè demonstrat August. lib. 2. de Bono perseuerant.

Imò & ipsum initium precationis dominicæ, cum Deum appellamus patrem nostrum, nititur hac ipsa doctrina: liqui-

dè

dē non eo sensu Deum patrem vocamus, quo Homerus principio Odyss. Iouem vocat *patrem hominū Deorumq.*: sed patrem in Christo, in quo electi & adoptati sumus, vt discernamus nos ab iis, quorum Diabolus est pater, & de quibus Dominus Matth. 7. *Non noui vos, &c.*

*Atqui tria sunt propter quæ nonnulli ab hac doctrina non immeritò abhorrere videntur: 1. quia captum nostrum superat, nimisq. in altum nos subuehit. 2. quòd ea pluri- mi abutuntur, vt non sine periculo tradi videatur. 3. quòd non satis de ea sint consentientia Theologorum iudicia, dum alii eam attingere dubitant, vt Augustin. Confessionis autores & plerique patres, Augustino excepto, qui ipse hoc nomine apud nonnullos male audiuit: alii non eodem modo eam tradunt & explicant, vt vel ex modernorum Theologorum scriptis apparet.*

Quod ad primum attinet, si captum hominum spectes, non hæc doctrina solum, verum etiam totum Euangelium, vt monet D. Paulus 1. Cor. 2. longissimè superat captum humani ingenii: nos verò, inquit, *ad hæc mysteria percipienda non utimur ductu rationis humanæ, sed Spiritum, qui ex Deo est, accepimus, vt sciamus, quæ nobis Deus est gratificatus: & fatemur, non debere nos subuehi altiùs, quàm nos Scriptura subuehat, sed oportere sapere ad sobrietatem.* Verum ideo sunt divina mysteria multis obscura, quia extinguunt dona Spiritus S. & prophetiam siue verbi diuini interpretationes pro nihilo habent: & sunt præterea *rudes sermonis iustitiæ*, vt loquitur Apostolus Hebr. 5. nec sensus habent exercitatos ad discretionem boni & mali.

Quod ad abusum attinet, eius causâ nequaquam est saluberrima hæc doctrina, quæ suum habet vsum summum, omit- tenda. Sic doctrinâ de iustificatione & libertate Christiana abutuntur Libertini: præcepto de Sabbatho homines otiosi & gula dediti: doctrinâ de Cæna Pontifex, qui eam in Idolum transformavit. Nostrum est interim gratis erga Deum animis rectè & religiosè iis vti, quibus præpostera hominum mentes.

abuntur, inprimis doctrina de Prædestinatione, cuius finis est, vt soli Deo tribuatur omnis gloria salutis nostrę: nos autem de ea certi simus, iuxta illud Pauli Rom. 8. *Electos Dei quis condemnabit?*

Ad tertium respondemus, displicuisse nonnullis, vt auctoribus August. Confessionis, non tam doctrinam ipsam de Prædestinatione, quàm perplexas de ea disputationes, quales sunt eorum, qui eam ut fatum Stoicum siue naturalem aliquam & incommutabilem causarum complicationem, vel vt coactionem aliquam ad malum, vel vt dogma, quod Deum peccati faciat autorem, considerarunt. Etsi verò à plerisq; Patribus ante Augustini tēpora frigidius tradita fuit hæc doctrina: non ideò sequitur, esse contemnendam. Satis est eam habere euidentia testimonia ex Scripturis. Et tamē Augustinus in suis de Prædestinatione tractatibus, nominatim in libris contra Iulianum & de Bono perseuerantię, tum Cypriani, tum Ambrosii, tum Nazianzeni testimonia profert, qui huius doctrinę fundamenta tradiderūt, docentes, omnia bona ex Dei gratia pendere, & nihil fieri sine Dei voluntate. Constat autem hæreticos ad id prodesse, vt idem August. scribit cap. 8. de Vera religione, vt nos ad veritatem plenius inquirendam excitent. Ante Pelagium Patres aliis certaminibus intenti de hac controversia non ita laborarunt. Sed Augustinus excitatus à Pelagianis inimicis gratiæ Dei, vt Lutherus ab Erasmo, qui liberum arbitrium defendebat, & ante Lutherum Ioh. Hus, & Ioh. de Vesalia, concionator Wormatiensis, hanc doctrinam tamquam basin doctrinę de gratuita Iustificatione posuerūt. Nec dissimulandum est, plerosq; Patres, inprimis Gręcos, libero arbitrio hominis nimis tribuisse, & fortasse propter Manichęos, qui Deum autorem mali faciebant, timidius hoc caput doctrinę attigisse. Ceterum Augustinū calumniatus est Ambrosius Catharinus Pontificius, qui contra Thomam Caietanum ante annos circiter 60. scripsit, & hostis fuit verę doctrinę de Prædestinatione, cum scripsit, Hilarium & alios Gallię Episcopos,

Episcopo  
pargi, c  
finatoru  
bene si  
obseruat  
nacione  
Augustin  
in episto  
nomine  
Pelagian  
dogma v  
rentiam  
illis respo  
los Augu  
modi cal  
ad Moni  
rum alio  
dus Clara  
tus Lom  
involuan

Quid  
tes  
dog  
de

Et si or  
in reb  
licorum  
eam non  
requirit  
euidenti  
est conse  
rem mult

Episcopus, postquam audiissent, illam doctrinam Augustini spargi, cohorruisse, & illis temporibus exortam sectam *Prædestinatorum*, quam Sigebertus Chronographus notat, qui sive bene sive male viuerent, se Prædestinatos gloriabantur. Sed obseruandum est, hunc ipsum abusum doctrinæ de Prædestinatione sive errorem Prædestinatorum grauissimè refutari ab Augustino lib. de Prædestinatione sanctorum. Deinde Hilariū in epistol. ad Augustinum non vituperare suo aut collegarum nomine sententiam Augustini, sed scribere, reliquias quasdam Pelagianorum Massiliæ & alibi hoc ventilasse, quod durum dogma videretur, & ad desperationē sollicitans: quorum sententiam Hilarius non probat, sed consulit Augustinum, quid illis respondendum sit. Sic etiā Augustinus tom. 7. ad articulos Augustino falsò impositos, ad articul. 10. liberat se huiusmodi calumniis. Et post Augustinum constat, Fulgentium ad Monimum illam doctrinam Augustini cum consensu piorum aliorum Episcoporum tradidisse, à qua nec ipse Bernardus Clarouallensis Abbas abhorruit: eandem tradiderunt Petrus Lombardus & Thomas Aquinas, licet eam nonnunquam inuoluant.

## CAP. II.

*Quid verò illis respondendum est, qui obiiciunt, discordantes esse hodie ipsorum Euangelicorum sententias de hoc dogmate: atque adeo piam mentem vix aliquid certi ea de re statuere posse?*

**E**T si omnino optādum esset, & in hoc capite & in aliis, tum in rebus tum in phrasibus, sanctum & pium extare Euangelicorum consensum: non tamen ideo nulla est veritas, etsi in eam non omnes consentiant: Ideo piorum omnium officium requirit, vt probent spiritus, 1. Ioh. 4. & id amplectantur, quod euentius Scripturæ testimoniis & analogiæ fidei maximè est consentaneum. Quanquam facile est demonstrare, maiorem multò esse de hoc capite inter præcipuos doctores Euan-

gelicos consensum, quàm sit inter Pontificios.

*Quomodo id queso?*

*Scholasticorum* enim alii causam electionis & reprobationis faciunt bona opera vel peccata præuisa: quæ sententia licet planè sit Pelagiana, vt monet August. lib. 1. de Prædest. sanct. cap. 18. & *Thomas ipse Aquinas* in prima parte Summæ scribat, vix vllum tam insanæ mentis esse, qui doceat, meritum præuisum causam esse Prædestinationis: adstipulatores tamen habet illa sententia ex scholasticis *Guiliel. Occam, Gabrielem Biel:* ex modernis *Albertum Pighium, Ambros. Catharinum.*

Alii causam Electionis ad vitã æternam in solo Deo ponunt, gratuitum eius beneplacitum: causam verò Reprobationis in hominibus præuisum ab usum liberi arbitrii: timentes, ne iniquitas in Deum cadat, si ex mera voluntate reiciat reprobos: cum tamen Apostolus illi obiectioni occurrat Rom. 9. Hanc sententiam, quæ fuit *Iohan. Scori* & discipulorum eius, sequi videntur hodie magna ex parte Iesuitæ: quanquam hinc sibi non constant, & priorem sententiam quoque non simpliciter improbant, vt apparet ex *Thesibus Moguntinis* ann. 87. editis, de Cohærentia liberi arbitrii cum Prædestinatione diuina. Sic enim illi sibi contradicentes loquuntur: *Licet Prædestinationis secundum suos effectus ex parte hominis vel angelica, causa assignari non possit, nisi sola diuina voluntas & immensa misericordia: non tamen ideo absurdum videri debet, causam in utroq. dari, vt aliquid in ipsorum potestate esse dicatur, adiuuante diuina gratia, quod in præuisione diuina coniungatur.* Item thesi 64. *Absurdissima est, inquit, Lutheri & Caluini sententia, qui aiunt, Deum ante hominum præuisionem nulla operum habita ratione voluisse homines vel ad vitam vel ad interitum destinare.* Item, licet probabile putemus, Deum pro sua misericordia ante operum præuisionem aliquos efficaciter ex gratuita liberalitate eligere: Deum tamen ceteros quoq. voluisse seruare certum est, cum omnibus gratiam suam offerat, quã valeat appellere ad portum salutis. Item, ridiculũ esse solos Prædestinatos iustificari, & iustificatos à gratia excidere nõ posse. Itẽ, Prædestinationẽ san-

Ætorum

etorum precibus posse adiuvari. Item, Aristotelem in Ethicis rectè scribere, in homine esse potestatem sectandi virtutes, & in ipsa hominis potestate esse reprobari & non reprobari: ideò libero arbitrio non derogare Prædestinationem.

Tertia sententiã Scholasticorum est purior, quam ex Augustino habent, & tradunt P. Lombardus, Thomas Aquinas, Durandus, & alii saniores, licet hinc nonnunquam se inuoluant: summa tamen huc redit, liberam esse Dei tum electionem tum reprobationem secundum placitum Dei. Sic enim Lombardus lib. 1. sentent. distinct. 40. *Vt Prædestinationis effectus est gratia appositio, ita obduratio reprobationis. Non tamen obdurat Deus, inquit Augustin. ad Sixtum, impertiendo malitiam, sed non impertiendo gratiam. Reprobatio Dei est, nolle misereri: obduratio, non misereri: misericordie meritum non inuenimus, ne euacuetur gratia: prauitatis autem non fit à Deo preparatio sed pœnæ.* Et rectè Augustin. inquit lib. de Prædest. sanctorum: *Non quia futuros nos esse tales præsciuit, ideò elegit, sed ut essemus tales per ipsam electionem gratia.* Ideo, inquit Lombard. distinct. 41. retractauit Augustinus l. 1. Retraçtat. quod ante docuerat, Deum elegisse quos præuiderat credituros. Thomas autem lib. 1. Summæ, quæst. 23. artic. 5. sic scribit: *Prædestinatio cum includat voluntatem, sic inquirenda est eius ratio, sicut inquiretur ratio diuinæ voluntatis. Non potest igitur assignari causa diuinæ Prædestinationis ex parte actus Prædestinantis: & manifestum est, quidquid est gratia, esse prædestinationis effectum, nec poni posse ut rationem Prædestinationis. Interim aliter se habet Prædestinatio sanctorum in causando quàm reprobatio. Illa enim est causa tum eius, quod exspectatur in futuro seculo, scilicet gloriæ: tum quod hinc percipitur, gratia. Reprobatio nõ est causa culpæ sed derelictionis à Deo, & est causa eius, quod redditur in futuro, scilicet pœnæ. Culpa provenit ex libero arbitrio reuicentis gratiam.*

Agnosco planè pugnantes Scholasticorum sententiã, ex quibus colligere promptum est, non esse talem consensum in dogmatibus inter Pontificios, qualem prædicare so-

*tent: sed nonne quæso inter Euan-gelicos pugnant es sunt  
& diuersa de hoc dogmate sententia?*

1. Hoc statuere pia mens debet, non statim pronuncian-  
dum, Ecclesias esse discordes, licet unus aut alter litem mo-  
ueat aliquam in Ecclesia. 2. inter dissentientes esse discern-  
endum prudenter: quinam in rebus ipsis & fundamento do-  
ctrinæ, qui in phrasibus tantum & modo loquēdi dissentiant,  
atq; ita vel tolerari vel conciliari etiam possunt. Nam cū de  
re ipsa constat, de verbis non debet esse magna contentio, vt  
monet Augustin. lib. 2. & 3. contr. Academicos. Præterea non  
omnibus vel eadem facultas commodè se explicandi, vel ea-  
dem fiducia in asserenda veritate tributa est: Vnde fit vt non-  
nulli longius progrediantur: alii infirmiores inferius subli-  
stant.

*Quosnam igitur illos paucos vocas aduersarios doctrina  
Ecclesiarum, quorum censura hac in parte facile conte-  
mni possit?*

Primi, qui ex professo litem nostris Ecclesiis mouerunt de  
Prædestinatione, fuerunt Iacobus Andreæ, & Luc. Osiander,  
qui Lucas in admonitione ad Gallicas & Belgicas Ecclesias  
ann. 79. Ecclesiarum nostrarum doctrinam notauit: cui ta-  
men statim nomine Gallicar. Ecclesiar. Danæus, nomine Ger-  
manicar. & Belgicar. Neostadiani Theologi ann. 80. respon-  
derunt. His postea, successit Hunnius in commentar. in Ioh.  
ann. 86. edito, in illa verba capitis 6. *Nemo potest venire ad me,*  
&c. & postea in thesib. anno seq. editis.

*Sed quid si quis nobis opponat librum Concordiæ, cui tam-  
multi subscripserunt?*

¶ Liber ille nullo loco aut numero esse potest, cū doctissimi  
quique, quorum nominibus parcimus, subscriptionem suam  
quotidie retractent, & iam passim in multis locis illi libro au-  
toritas sit abrogata, & Prædestinationis obiter tantum & cum  
multis contradictionibus mentio fiat, vt à viris doctis dudum  
animaduersum est.

*Cur verò Iacobi Andrea & Osiandri sententia reiicitur & censura contemnitur?*

Quia manifestos habent errores pugnantes cum Scriptura, cum Luthero, cuius discipulos se profitentur, cum collegis & sociis suis, cum suis scriptis, & ita sibi ipsis contradicant.

*Potest ne id paucis demonstrari?*

Errores contra manifesta Scripturæ testimonia, quos in suis scriptis defendunt, sunt hi potissimum.

1. Sine Dei decreto & vlla eius ordinatione lapsum Adamum & perire reprobos: quod pugnat cum Dei prouidentia, & cum his testimoniis Scripturæ, Iob. 12. 19. Proverb. 16. 4. Esa. 45. 7. Thren. 3. 37 & 38. Amos 3. 6.

2. Nullum Dei absolutum decretum esse ab eius simplici voluntate pendens de seruandis piis vel reiiciendis reprobis, contra loca Rom. 8. 28. & cap. 9. 11. Ephes. 1. 5.

3. Docent, falsum esse reprobos nondum natos nullo indignitatis respectu reprobari, imò Deum planè nolle cuiusquam damnationem, contra loca 1. Sam. 2. 25. Ioh. 6. vbi necessariò hæc antithesis obseruanda est. *Hæc est, inquit Christus, voluntas Patris, vt quem mihi dedit & qui credit in me, habeat vitam æternam: & per consequens hæc quoq; est Dei voluntas, vt iis quos Filio nõ dedit, & qui non credunt in Filium, pereant: & Rom. 9. Quos vult, indurat: & per consequens quos vult induratos, vlciscitur & punit.*

4. Reprobos etiã posse seruari & conuerti, & pro iis Christum mortuum, contra loca Ierem. 6. 30. item cap. 13. 23. Ioh. 11. 39. & 17. 12. Rom. 9. 22. Ephes. 5. 25. Hebr. 10. 26. 1. Pet. 2. 7.

5. Dei propositum & voluntatem esse, vt omnes seruentur, & vniuersales promissiones sine restrictione esse intelligendas, contra loca Scripturæ, quæ illarum effectum ad credentes (i. electos) restringunt. Coloss. 1. 11. 20. & 23. 2. Tim. 2. 19. & 20. Hebr. 10. 14.

Deniq; ex horum hominum sententia sequitur, vel omnes seruandos, & gratiam esse vniuersalem, atq; ita nullos esse ele-

Etos: vel in hominis potestate esse, vt credat vel nō credat, sic-  
 ut Pelagiani volebant, si nullum Deus reiecit, nec ex Dei de-  
 creto aut voluntate labuntur. At sic secum ipsi pugnant, qui  
 fatentur, certum esse numerum electorum, & fidem esse Dei  
 donum, nec fidem esse omnium. Et quid quæso potuit Deus  
 plus in his quàm in illis prætere, cùm nihil essent homines au-  
 te creationem, & post lapsum nihil habeant fidei, nisi Deo lar-  
 gente? Aliter cerrè Luthetus non solùm in libro de seruo ar-  
 bitrio contra Erasnum, quem ann. 25. edidit, vbi inter alia:  
*Hic est summus fidei gradus, inquit, credere illum clementem, qui vel  
 paucos seruat; iustum, qui multos condemnabiles esse voluit: verùm  
 etiam Tom. 2. Witeberg. ad Christian. Antverpiens. Permittit  
 certè Deus, vt fiat peccatum, nec permissio illa sine eius voluntate fit.  
 Quomodo enim sineret, si nollet?* Et in Tesseradecad. siue para-  
 cles. ad duces Saxon. Friderie. Cùm Deus sit iustus iudex, oportet  
 eius iustitiam diligi & laudari, etiam cùm impios in corpore & ani-  
 ma vlciscitur. Nam & infernus ipse commemorat Dei laudem. Et in  
 præfation. in Epist. ad Rom. Ex doctrina Prædestinationis fluit &  
 cognoscitur, quinam sint credituri, qui non, & qui sint à peccatis redi-  
 mendi, ne salus nostra sit in manibus nostris. Et D. Jacob. Heerbrandus  
 collega Iacobi Andreae, & Hunnii præceptor, in Thesisibus  
 de Prædestinatione ann. 69. respondente Francisco Tucherò,  
 Thes. 51. *Cur Deus vnum elegerit, alterum neglexerit, si queratur,  
 cum Apostolo respondere liber: O homo tu quis es, qui ex aduerso respon-  
 deas Deo. Et Thesi 56. & 58. Quos vult sibimet relinquit, vt hoc mo-  
 do suam gloriam & iustitiam in ipsorum interitu declaret, vt de Pha-  
 raone dicitur: Ad hoc ipsum excitavi te. Et Thes. 80. Huius rei non  
 possumus aliam reddere rationem, nisi quod ita voluerit, & placuerit  
 ei notas facere hoc modo diuitias gloriae suae in vasis misericordia, qua  
 praparauit ad gloriam: & potentiam in vasis ira aptatis ad interitum,  
 &c. Et de vniuersalib. propositionib. expressè contra Schmi-  
 dlin. Thes. 90. *Etsi omnes vocentur, & dicatur Deus velle omnes sal-  
 uare: non est tamen existimandum, Deum velle omnes homines salua-  
 re. Id enim cum Dei iustitia & verbo pugnet: sed restringenda est*  
 vni-*

uniuersalis promissio ad eum modum, quem Scriptura prescribit, nempe ad omnes penitentes & credentes in Christum. Dissentiunt & illi à suis sociis Helmstadianis Theologis. Sic enim Daniel Hofmanus in dictatis in Carechef. an. 85. *Electio est causa fidei, non fides electionis.* Item, *Particularis electio rectè conciliatur cum uniuersalibus propositionibus sine contradictione, quia signum uniuersale restringitur ad credentes.* Item, *Ad questionem, An reprobatio sit aeterni decreti, respondeo, si Electio est aeterni decreti, sicuti est, tunc etiam Reprobatio, sine qua electio nulla fieret. Electionis igitur & Reprobationis velut genus est Prædestinatio, & necesse est duo opposita sub uno genere colligi: & Deus est, qui reprobat, & solus causa principalis efficiens, cum solius Dei sit iustitia damnationis: est enim pars gloriæ Dei reprobatio: peccatum verò est causa meritoria damnationis.*

*Demus igitur pauculorum illorum Vbiquitariorum contradictiones facile contemni posse, sed quid iis respondebimus, qui obiiciunt Philippum Melanchthonem & eius discipulos, quorum nò exiguum numerum esse constat, à nostris Ecclesiis dissentientes?*

De Philippo respondemus 1. nullum ex nobis dubitare de hominis pietate, eruditione, studio pacis, licet ob ingenii mansuetudinem Pontificiis nonnunquam nimis sit largitus: sicut inter alia perperam sibi persuasit, articulum de libero arbitrio facilè conciliari posse: imò ea de re inter doctos conuenire: quemadmodum legitur Töm. 4. operum Philip. in consilio de moderanda cōtrouersia in articulis Religionis ad Regem Gall. ann. 36. quæ causa fuit, vt de Prædestinatione mollius fortasse scripserit. Deinde illum cū suis discipulis hypotheticè doctrinam Caluini, antequam eius mentem satis assequutus esset, taxasse, si nimirum omnem contingētiam tolleret & Stoicam necessitatem statueret. 3. Illum circa vsum & applicationem doctrinæ contra tentationes inprimis occupatum, cū Geneuenses Theologi 1. doctrinam, 2. vsum tradant. 4. Philippum Electionis & Reprobationis vocibus non semper vsum in ea significatione, qua nos vti solemus, sed pro exequutione Præ-

destinationis, siue finali saluatione & damnatione: quo sensu scribere solet, reprobos esse causam suæ Reprobationis, vt piè monet Clariss. vir D. Pezelius, verus illius discipulus in 7. parte argumentor. & responsion. contextarum ex scriptis Philippi in loco de Prædestinatione, vbi multis ostendit, quomodo in re ipsa non dissenserit Philippus à Genevensibus: quod & ex sermonibus & ex litteris eorum demonstrat. Sic rursus Genevenses Theologi eandem Ἐπιείκειαν & Φιλαδελφίαν colentes in Harmonia Confessionum Euangelicor. an. 81. edita, nonnulla, quæ in Augustana Confessione rudiùs de Prædestinatione dicta videbantur, ἐπιεικῶς interpretati sunt & in recto sensu admiserunt.

*Sed sunt ne licite & tutæ huiusmodi Conciliationes?*

Tutæ sunt, quando infirmior pars fundamenta doctrinæ retinet, & tolerabiliter sese interpretatur, & altera pars, quæ in agnitione mysteriorum longiùs progressa est, nihil inflectit aut dissimulat, sed sanam formam doctrinæ retinet, sicut semper factum est à nostris Ecclesiis in hoc dogmate.

*Quæ porò sunt illa fundamenta Scholæ Melanchthonianæ cum Genevensi & aliis nostris communia?*

Fundamenta communia hæc sunt: Ecclesiã non esse quamuis multitudinem, sed cœtum electorum & vocatorum. Item, electionem & adoptionem in filios Dei non esse naturæ aut meriti, sed ἐνδουλεύουσις diuinæ. Item, volûtatis diuinæ causam semper esse iustissimã, licet sepe sit occulta. Item, certũ, immutabile & æternum esse Dei propositũ & decretũ. Item, Dei voluntatem esse causam causarum. Item, cùm non miseretur Deus, homines in incredulitate perseverare: tales esse reprobos, qui ob spontaneam incredulitatem meritò puniantur. Item, de electione nostra ex patefactione Euangelii & effectis siue cõsequentiis iudicandum. Item, Deum velle omnes seruare sc. confugientes ad Christum, vt loquitur Christus, id est, credentes. Item, Deum nullius interitu delectari, & sine respectu personarum, sexus aut ætatis offerre suam gratiam.

*Quæ*

*Quæ verò sunt falsæ suspiciones, cur Genevensium & aliorum doctrinæ in odium apud multos discipulos Philippi sit vocata?*

Quod existimarentur facere Deum autorem peccati, quod illi constantissimè negant, agnoscentes hominis voluntatem sponte à Deo te auerentem causam esse peccati: si hic efficiens aliqua causa & non potius deficiens ponenda est. 2. tollere omnem contingentiam etiam in causis secundis & actionibus humanis, & statui Stoicam necessitatem: cum tamen Genevenses in thesibus ann. 86. editis disertè scribant, æternum Dei decretum ita euentui à se determinato necessitatem imponere, vt causas medias secundum ipsarum naturam moueri velit, ex quo consequatur, contingentiam humanæ voluntatis minimè tolli. Et Zanchius in sua Confes. *Respectu Dei omnia necessariò, cuius voluntas certa & immutabilis est; nostri respectu multa sunt contingenter.* Testantur etiam passim, hanc doctrinam cum fæto Stoico nihil habere commune, vt iam olim docuit Augustin. lib. 5. de Civit. Dei. Hyperius quidem in methodo locorum Theologorum videtur à vocabulo Contingentiæ abhorere, sed secundum quid. *Contingentiam vocant, inquit, quæ res creata in actionibus rationi subiectis subinde mutantur ex arbitrii libertate: sed, inquit, pertenuis est libertas arbitrii, & tum fortuita tum contingentia diuinà providentiâ regi certum est.*

*Sed nonne & in quibusdam aliis sententiâ discrepant?*

Pleraq; non ita magni momenti esse vidètur: vt quod nonnulli Prædestinationem ad solos sanctos referunt, vt Philippus & Martyr, sed ita vt agnoscant, *προρισμὸν*, Prædefinitionem vel Prædeterminationem aut Prædestinationem ad reprobos etiam posse extendi, sicut Actor. 4. Herodes & Pilatus dicuntur ea fecisse, quæ Dei consilium *πρωεπισημειώθη*. Grauius est fortasse, quod Bucerus in cap. 9. Rom. conciliare conatur Chryostomum & Ambrosium, qui electos volunt eos, quos Deus præsciuit futuros bonos; reprobos, quos malos: cum sententiâ Augustini & Ecclesiæ: existimans, sicut Augustinus respo-

At Pelagianorum gratiam Dei amplificauit, sic illos respexisse  
 Manichæos & alios, qui peccati culpam in Deum reiciunt,  
 cum alibi fateantur nobiscum, omnia contingere dono & vir-  
 tute Dei. Sed non tam felix fuit, quam pius, Bucerus in suis  
 conciliationibus, & ipsemet paulò ante fatetur, illam Origenis  
 & Ambrosii sententiam meritò refutari ab Augustino cap. 2.  
 lib. 2. contr. duas epist. Pelagianor. Obiicietur fortasse, quod  
 nonnulli ex nostris, vt Martyr in 9. Rom. & alii ipsa peccata ca-  
 dere in Dei Prædestinatione & prouidentiam sentiant. Zan-  
 chius verò in Miscellan. de libro vitæ, licet illam sententiam  
 non planè improbet, ait, se malle sentire, Prædestinatos qui-  
 dem reprobos ad actiones malas, quatenus actiones, non qua-  
 tenus malæ sunt. Fulgentius etiam libro primo ad Monimum,  
 capite septimo: *Non prædestinati sunt mali ad hoc, quod malè ope-  
 rantur. Prædestinationis enim nomine non aliqua voluntatis huma-  
 næ coactitia necessitas exprimitur, sed misericors & iusta futuri operis  
 diuini sempiterna dispositio.* Nec aliter sentit Martyr. Neq; enim  
 vult, Deum prædestinare peccatum, vt causam efficientem  
 peccati, vel vt eoactorem ad peccandum, quod nefas est dice-  
 re, inquit Augustin. lib. de Prædestinat. Dei cap. 12. sed quod  
 nec casu peccet homo, nec sine Dei dispositione, qui peccatū  
 malæ voluntatis humanæ ad bonum ordinat finem. Quo sen-  
 su intelligendum est illud Augustini de Corrept. & grat. c. 12. &  
 13. quod *inclinat Deus etiam malas voluntates, vt si, inquit, de eo,  
 quod faciunt contra eius verbum, faciat quod vult.* Quod de volun-  
 tate Dei nostri dissentire videntur, & de permissione, quam a-  
 lii capiunt, alii non ita admittūt, facile etiam conciliari potest.  
 Certum est enim propriè loquendo & si ipsam voluntatis ef-  
 fectiam spectes, vnã omnino Dei esse voluntatem: & licet  
 nostri docendi causa non reiciunt illam distinctionem Scho-  
 lasticorum de voluntate signi & beneplaciti: melius tamen illi  
 & magis propriè loquuntur, qui vnã simpliciter in Deo vo-  
 luntatem statuunt, sed Deum non eodem modo aliquid vel-  
 le, vt nec eadem sunt, quæ vult. Alia enim vult simpliciter, alia  
 cum

cum conditione: ut vult omnes seruari, qui credunt & agunt penitentiam: alia vult secundum quid, ut hominem labi, non quatenus lapsus est peccatū aut destructio creaturæ, sed quatenus seruit ad iustitiam suam demonstrandam. De permissione autem Dei, sic scribit Beza in ultimis prælectionibus de Prædestinat. & ea est ferè nostrorum sententia: simplicis voluntatis & permissionis distinctionem rectè explicatam minimè repudiari: imò retinendam hoc sensu, sc. non quod Deo simpliciter nolente vel otiose conuiuente aliquid fiat, sed quia malum culpæ non efficit, nec probat, verùm iusto suo consilio & pro sua libertate non impedit.

*Vnum adhuc paucis explicari cupio, quid de eorum sententia iudicandum, qui Prædestinationem definiunt à præscientia hominis lapsi, quod scilicet sit æternum decretum & immotum, quo creaturâ rationalem à se præscitam, ut post creationem & lapsum existura erat, consideratam secundum beneplacitum ad beatitudinem vel penam præordinauit: cum antecessores nostri D. Boquinus in disputat. de Prædestinat. ann. 74. D. Zanchius de attributis Dei lib. 5. cap. 2. magnos illos viros Bucerum, Calvinum, Martyrem, Bezam sequuti, Prædestinationem absolutam esse velint & sine conditione, quâ æterno decreto, absoluto voluntatis proposito, alios eligere, alios reprobare constituerit, & ad fines suos ordinauerit?*

Nos illorum tanquam fratrum nostrorum sententiam r. sic accipimus, quod non nudam & otiosam præscientiã, sed cura voluntate & decreto coniunctam statuunt: qualis præscientia omnino cum Prædestinatione coniuncta est. Nam ordinat ea, quæ scit & nouit. Sed rursus scit & nouit, nihil esse aut fieri, quod non voluerit esse, & pro suæ voluntatis sapientia ad certos & bonos fines ordinauerit. Deinde illam præscientiam sic intelligimus, ut non statuunt eligi eos, quos præsciuit non credituros. Nam hoc modo Prædestinatio ab homine penderet, non à decreto: & credunt homines non propria vi, sed ii

qui dati sunt filio, & quibus ab æterno constituit dare fidem: non credunt, quibus æterno decreto non constituit dare fidem. Quo nomine antecessores nostri rectè dicunt, Dei decretum quod in Prædestinatione maximè consideratur, non esse conditionale sed absolutum, & à mera Dei voluntate pendens. Cum igitur lapsi electio in Christo & insitio in Christū non sit causa decreti, sed consequens, pertinens propriè ad eius dispositionem, declarationē & executionem: si hoc sensu accipiunt Prædestinationem, ut illa omnia complectantur, sicut ante ex Pezelio ostendimus, Philippum electionem & reprobationem solere accipere: conciliari facile potest cum præceptorum & antecessorum nostrorum sententia, qui fatentur, Deum prædestinasse & præsciuisse tum fines ipsos, ut vitam electorum, & mortem reprobatorum, tum ipsa media, per quæ ex decreto & beneplacito Dei ad illos fines peruenitur, eligendo alios in Christo, creando hominem, sine dolo labi, alios vocando, alios prætereundo.

*Quid autem periculi in eo esse videtur, si quis simpliciter obiectum Prædestinationis faciat hominem lapsum, siue eam præscientia hominis lapsi substituat, qua ex genere humano lapsi iam est ita præscito alii eligantur, alii prætereantur?*

Respondem<sup>9</sup> cum Caluino lib. 3. Instit. cap. 21. sect. 5. Martyr. in 9. ad Rom. Zanch. l. 12. de attribut. Dei lib. 5. cap. 7. Danæo in caput 89. & 99. Enchirid. Augustin. & aliis, præscientiam, quam scimus esse generalem & ad res omnes extendi, non esse confundendam cum æterno decreto de hominibus facto, quod in Prædestinatione primū & propriè consideratur, & *ἀρχαῖον* vocat Paulus Rom. 9. vers. 11. quæ est prima summaq; causa tum Electionis tum Re probationis: & ut rectè monet doctissimus vir Ludovic. Vives in illum locum lib. 5. de ciuit. Dei cap. 9. *Voluntates nostræ tantum valent, quantum Deus eas valere voluit: cum, inquit Vives, indignū videatur à fluxa cadisq; rerum natura sempiternam scientiam generari, dicamus, à prouidentia:*

dentia voluntateq; Dei cognitionem eius proficisci, voluntatem statuere quid futurum sit, scientiã, quid voluntas statuerit, nosse, &c. Quod ergo in tempore factum est, causa esse non potuit æterni decreti. Deinde lapsus non præsciuit Deus nisi præordinatum: alias sequeretur, sine Dei decreto & ordinatione aliquid fieri. Lapsus autem sicut & creatio, est consequens, non autem causa decreti: & pertinet ad executionem diuini consilii, sicut & præparatio gratiæ per Christum, & pœnarum, quibus addicuntur reprobis.

*Atqui D. Paulus Ephes. 1. 5. εὐδοκίαν, id est, beneplacitum Dei, quod sc. est in Christo, facit causam Prædestinationis: & Rom. 8. 29. quos præsciuit sc. cognitione & εὐδοκίαις, eos prædestinavit: E. non simplici & absoluta voluntate.*

Ex ipso Paulo præscitos cognitione εὐδοκίας eos, qui ut dicitur vers. præcedente vocantur *καὶ ἀγαπῶν*, quæ est summa causa. Sic Ephes. 1. 11. nos reuocat *κατὰ τὴν βουλήν τῆς προνοίας αὐτοῦ*.

*Sed cum Prædestinatio sanctorum sit propositum miserendi, vel respectu reproborum, non miserendi, & misericordia præsupponat miseriam: videtur Deus in suo proposito contemplatus iam hominem lapsum, ut in quo demum tum misericordiam tum iustitiam suam ostendere potuit.*

Et si illa non est plena definitio Prædestinationis: Prædestinatio enim Angelorum propriè propositum miserendi dici nequit, nisi quatenus à mutabilitate & miseria siue periculo lapsus boni angeli seruantur: non sequitur tamen, non distinguendum esse ipsum propositum à mediis, quæ ad illud propositum exequendum præparant: sic enim Paulus de proposito, cuius vult miseretur: quem vult indurat: & licet hominẽ lapsum consideret, in quo omnes æquè miseri sumus: semper emergit hæc quæstio, an fortuitò sit lapsus Adam: & cum omnes sint

miseri, cur hic eligatur in Christo, ille prætereatur: cuius rei certè nulla alia causa reddi potest, quàm propositum & voluntas, quæ semper iusta est, licèt rationem eius non semper assequamur. Fatentur ergo executionem propositi præsupponere miseriam & lapsum hominis: non autem ipsum propositum Prædestinationis, quod simplex est, quale cõpetit omnipotentix, quæ de suo facit quod vult.

*At si absoluta voluntate Deus reprobat & odit creaturas non considerat as quatenus sunt lapsæ: quomodo potest dici diligere creaturas & nihil odisse eorum, quæ fecit?*

Iuxta illam collectionem omnes creaturæ eligendæ essent in Christo, & quæ non sunt rationales, quas tamen Deus suo modo diligit. Rectè autem respondet Thomas Aquinas Sum. Theolog. quæst. 20. artic. 2. & 3. Deus odit reprobos, in quantum eis non vult bonum vitæ æternæ. Sed rursus amat, sicut & reliquas creaturas, in quantum vult eis aliquod bonum: bonum scilicet naturale, vt creationis & conseruationis: nec delectatur earum interitu, in quem sponte homo ruit. Vt autem propositum Dei liberum est de his vel prætereundis vel eligendis, & omnipotentis naturæ: sic executio eius per misericordiam & iustitiam respicit hominẽ creatum ac lapsum, & odium actuale, quod est irrogatio pœnarum, non exercetur nisi interueniente non solum lapsu, verùm etiam malitia spontanea & pertinacia, quæ est causa propria & propinqua interitus impiorum. Neque etiam liberaretur Deus per illam præscientiam hominis lapsi ab illa suspitione odii iniusti, quam nonnulli prætendunt: quia semper opponit ratio, cur Deus hominem mutabilem creauerit: cur non æquè omnes liberet, qui in pari sunt miseria. Odisse enim dicitur non solum is, qui infert malum, sed & is, qui cùm iuuare possit, non iuuat: de qua re multa præclare Augustinus de Correctione. & grat. & lib. ar. bitr. cap. 20. licèt nonnunquam timidius propter Manichæos loquatur.

CAP.

## CAP. III.

## De Methodo tradendæ huius doctrinæ.

*Pergo nunc ad alia, & edoceri cupio, quomodo siue qua Methodo hæc doctrina utiliter & salubriter tradi possit.*

Rectè mones: Nam & fidos doctores non modò doctrinâ veritatis bene instructos esse decet, verùm etiam ὁρθοπνεῖν ἢ λόγον τῆ ἀληθείας: & licèt omnibus tradenda sit vna & eadem doctrina, non tamen eodem semper modo, cùm non idem sit ἄνθρωπος captus.

*Quanam igitur Methodo vsus est magnus ille noster Apostolus in hac doctrina tradenda?*

Duplici: Analytica & Synthetica. Analytica in epi. ad Rom. Synthetica in epist. ad Ephes.

*Explica id fusius & sigillatim.*

Analyticam methodum scis vocari eam viam & rationem docendi, qua proposito fine ea, quæ ad finē illum consequendum & conseruandum pertinent, media, adiuncta & principia inuestigantur: Sic in epist. ad Rom. postquam Euangelium ostendit esse potentiam Dei ad salutem: ordine ea explicat, quæ ad finem illum spectant, cognitionem peccati, fidem in Christum, vitam nouam: & ad horum omnium fontem & principium nos deducit, Dei beneplacitum æternum, qui sibi certum populum eligere voluit, cui donauit vitam illam æternā, & quem nunquam planè abiiciet. Syntheticā methodo vsus est in epistola ad Ephes. cùm incipiens à summis principiis, nempe à nostra electione, ad media & consequentia nos deducit, nempe ad mysterium illud reuelatum per Euangelium & ad doctrinam fieri, cuius finis est salus animarum.

*Non autem pugnant inter se hæc docendi rationes?*

Minimè gentium: Nam idem docet, qui docet, quisquis agnoscit se peccatorem, & credit Euangelio, habet vitam æternam: & qui docet, quisquis datus est Filio, siue electus in Christo, non peribit.

*Vita methodus est utilior?*

In Scholis & apud peritos Synthetica methodo vel etiam  
 τῆς ὁμοειδοῦς & διασπαστικῆς vti solemus, vbi etiam accuratius & subtilius omnia explicantur, sicut fecit Augustinus in suis disputationibus contr. Pelagian. de gratia & liber. arbitrio. item de Correctione. & gratia. Apud populam verò & apud eos, qui nō satis instituti sunt, de fine, signis, effectis prius est differendum, & illi docendi, quid sit vita æterna siue vnica nostra consolatio in vita & in morte: quid sit peccatum: quid Christus & fides: & magis familiariter de Electione & Prædestinatione apud eos est agendum: vt fecit Augustin. tom. 10. in homil. tom. 8. & 9. in exposition. Psalmorum & Euangelistæ Iohann. & in primis prudenti Theologo considerandum, cum quibus hominibus ei res sit. Si cum iis, qui vires humanas velint extollere & deprimere gratiā, illis statim doctrina Prædestinationis & æterni, gratuiti liberrimiq; decreti Dei opponenda est, vt factum ab Augustino, Luthero, Caluino, Bucero. Si rursus cum infirmis conscientiiis & crassiorib; hominibus, qui vix adhuc sciūt, quid sit Christus, & in desperationem aut profanationem delabi facilè possent: apud tales in primis inculcandum est, quid sit Christus, quid fides, quæ signa electionis, quid Deus promittat omnibus credentibus Euangelio. Qua docendi ratione maximè delectatus est Melanchthon. Nec certè permitendum est, vt prius disputemus, an simus electi, quàm credamus in Christum & sciamus, quid sit Euangelium. Quo nomine Lutherus in præfat. in epist. ad Roman. curiosos cohiberi vult, qui antequam Christum & crucis virtutem intelligūt, in abyssum Prædestinationis se præcipitant: *Tu potius, inquit, sequere methodum Pauli in epistol. ad Roman. vt scias, quid sit peccatum, quanta eius magnitudo, quid Christus, quid vita noua: & tentationibus atque afflictionibus exerceatur fides tua: tunc demum dulcescet tibi doctrina de Prædestinatione.*

CAP.

## CAP. IV.

## De Vocabulis ad hanc doctrinam pertinentibus.

*Vt ad rem propius accedamus, de vocabulis primùm, quibus Ecclesia cum Scriptura uti in hac doctrina solet, disseramus.*

Rectè mones: Id enim multum lucis adfert, si vocabula artis rectè intelligantur, & eorum significata probè distinguantur: sicut Bucerus in vestibulo suorum Commētarior. in epist. ad Roman. aliquot vocabula vſitata Paulo explicat, vt quid sit fides, iustitia, gratia.

*Quenam porro vocabula in limine huius tractationis nobis consideranda sunt.*

Hæc videlicet, quid sit *Providētia, Præscientia, Electio, Dilectio, Reprobatio, Prædestinatio*. Nam de reliquis, vt de Dei voluntate, de induratione, de vasis iræ, suo loco & in ipsa rerum tractatione dicetur.

*Explica igitur ordine illas voces?*

Doctrina de Prædestinatione ad articulum de Providentia tanquam eius pars refertur. Providentia autem omnia complectitur, decretum sapientissimum & vim omnipotentem Dei, qua omnia à se condita gubernat, & ad suos fines per certa media deducit. Prædestinatio verò, vt hoc vocabulo vtimur, rationales tantum creaturas respicit & quidem finem supernaturalem.

*Quare? cum omnibus rebus creatis Deus finem aliquem determinavit?*

Quia vt rectè docet Thomas in Summa 1. quæst. 23. artic. 2. agitur hîc de fine excedente proportionem naturæ creatæ, cuius irrationalia capacia non sunt, qualis est vita æterna, quæ electis per Christi cognitionem contingit.

*Estne autem aliquid discriminis inter Præscientiam, Electionem & Prædestinationem?*

Esti in Deo, qui est essentia simplicissima, & cui omnia sunt:

præsentia, illa non ita distingui possunt: & tum apud Patres tum in Scriptura Præscientia & Electio cum Prædestinatione nonnunquam permiscetur: ordine tamen nature & nostri respectu, cum hæc methodicè explicantur, distingui omnino debent.

*Adfer quæso horum vocabulorum distinctionem & seriem.*

Propriè & distinctè loquendo in Deo consideratur 1. *Sapientissima Dei voluntas*, qua ut Deus omnipotens ab æterno decreuit quid facere vellet cum de omnib. aliis tum de hominibus. Illud decretum vocat Scriptura *πρόθεσις* Rom. 9. Eph. 1.9. 2 Timoth. 1. Liberum illud diuinæ voluntatis beneplacitum est radix omnium eorū, quæ consequuntur: idè cuius rectè Thomas Aquinas articul. 40. *Non potest dici, quod aliquis in nobis existat, quod sit ratio effectus Prædestinationis: nam quidquid est gratiæ, effectus est Prædestinationis.* Cum hoc proposito volūtatis diuinæ coniuncta est *Præscientia*, vel potius, si Deum respicias, cui omnia præsentia, *scientia*, qua simul & semel nouit tum ea, quæ non sunt, inquit Ambros. 5. de Trinit. tum in primis ea quæ facere decreuit. Ideo multo latius patet Præscientia quàm Prædestinatio. Ut verò Propositum est voluntatis, sic Præscientia intellectus. Hac notitia omnia cernit & in conspectu suo habet: idè licet ab æterno elegerit ea, quæ nondum erant, aberrare tamen in sua electione nequit. 3. Consideratur *Electio* & huic annexa *Reprobatio*. Electio autem hîc non generaliter accipitur quo electione in populum cum certis circumstantiis temporalibus, ut cum in genere elegit populum Israel: nec pro electione ad munus, ut Iudas electus dicitur Ioh. 6. sc. ad Apostolatū: sed specialiter p electione cū dilectione coniuncta, & cum ea Præscientia quæ *εὐδοκίας* vel approbationis dicitur, & in Christo subsistit, in quo gratis electi sumus Eph. 1. Hæc electio est q. primus effectus illius propositi absoluti, quando hūc vel illum assumit & diligit, alterū odit, id est, præterit nec diligit in Christo. Electio enim necessario oppositā siue *ἀντιθέσις*

seu habet reiectionem seu reprobationem. Qui sic electi sunt, penitus reiici & deseri nunquam possunt, tum quia ex decreto Dei certo & immutabili eliguntur, tum quia non possunt non semper diligere in Christo. Secundus actus & gradus propositi diuini est de exequutione eius & præparatione mediorum, quæ *Prædestinatio* propriè dicitur: & ab Augustino hoc respectu lib. 2. de Prædest. cap. 12. vocatur præparatio gratiæ, sicut respectu reprobatorum præparatio pœnæ *Iniqui*, inquit Fulgent. lib. 1. ad Monimum c. 27. *prædestinati sunt ad mortem secundam*. Ergo Prædestinatio propriè in ordinatione, dispositione & exequutione propositi consistit tum de electis tum de reprobis, & ad reprobos quoque extendi potest, vt supra ostendimus ex Actor. 4. Illi enim quoque positi sunt ad eum finem, quem Deus præscripsit. Et reprobis videntur dici in Scriptura metaphora sumpta vel ab argento reprobo, quod reiicitur Ierem. 6. vel à terra reproba, quæ sine cultu relinquitur Hebr. 6. Sed hinc obseruandum est, vt rectè monet Martyr, quando nostri Prædestinationem in Scholis definiunt, illos coniungere vtrumque, sc. decretum æternum, quod est in Deo, & vetere vocabulo Latino *destinatio* dici potest: & dispositionem ac determinationem ad finem, quam vox Græca propriè significat. Ideo solent nostri Theologi definire Prædestinationem æternum Dei decretum, quo constituit alios in Christo eligere, diligere, iustificare & glorificare: alios reprobare, præterire, & propter peccata, in quæ sponte ruunt, iustè punire. Atque ita Prædestinatio complectitur tum decretum tum præparationem mediorum.

## CAP. V.

De Prædestinatione sanctorum, quatenus & decretum & electionem & illius decreti dispensationem significat, vt vulgò in Scholis accipi solet: & de opposita Reprobatione quid tradat Scriptura: & quis deniq; sit nostræ salutis ordo.

*Fac ergo nunc intelligam, quomodo sit aliquis de Prædestinatione ex verbo Dei erudiendus, & quibus Scripturæ locis demonstratur tum decretum illud tum eius dispensatio.*

Vt supra cap. 3. dictum fuit, alia est ratio huius doctrinæ tradenda inter ἀποδείξεις quàm inter peritos mysteriorum. Apud illos enim principiò inculcari debet, quæ comprehensu facilis & quæ obuia est, hominis miseria. Deinde monstranda diuina misericordia, qui filium suum dedit placamentum per fidem in sanguine ipsius. Hinc ad fidei fructus & signa deducendus est *κατὰ χεῖρας*, & simul admonendus de variis temptationibus & afflictionibus, cum quibus est luctandum. Vbi talibus principiis imbutus fuit, vltro sese offeret necessitas doctrinæ de Prædestinatione. Nam statim cogitabit pia mens, vnde fiat, quòd ex tam magna hominum turba tam pauci verè credunt & perseverant ad finem. Item quomodo tam exiguus cœtus credentium inter tot insidias Diaboli, odia & persecutiones mundi consistere possint. Hic statim occurrit D. Paulus, & vtriusque quæstionis solutionem affert: ac prioris quidem cap. 9. epist. ad Rom. non omnes esse verè Israelitas & Dei populum, qui foris vocantur & speciem externam habent, sed eos demùm, qui secundum firmum Dei propositum, quod est secundùm ipsius electionem, vocantur. Ad posteriorem quæstionem respondet cap. 11. Nunquam abiicere Dominum Deum populum suum, quem præcognouit, sc. secundùm gratuitam electionem, vt interpretatur vers. 5. & 7. siue, vt ad Rom. 8. nihil posse electos Dei separare ab illa dilectione, qua diligit eos in Christo Iesu, antequam iacerentur fundamenta mundi, Eph. 1. Ponuntur ergo ab Apostolo & concurrunt illa tria, de quibus supra dictum est, 1. Dei *προγνωσις καὶ βελή θελήματος*, Rom. 9. Ephes. 1. *καὶ εὐδοκία καὶ προπέθετο* vers. 9. Item electio, atque etiam Prædestinatio siue dispensatio decreti, Ephes. 1. 5. *προορισμοῦ ἡμᾶς εἰς ἡοθεσίαν*, &c. quæ licet cohercant & nonnunquam commutentur, necessariò tamen distinguuntur.

*Quid*

*Quid igitur de eo tibi videtur, quod Lombardus lib. 1. distinct. 40. ex Augustino docet, Prædestinationem nihil aliud esse, quam gratiæ præparationem cum præscientia coniunctam: & prædestinasse quidem Deum quos elegit, reliquos reprobasse, id est, ut ibidem ait, ad mortem æternam præsciuisse peccatores?*

Iam ante aliquoties ostendimus, Prædestinationē quidem sic accipi posse respectu executionis decreti, sed D. Paulum meritò nos deducere ad summam illam causam, quæ est *αἰτία*, ne aliquid præparari aut præsciri putemus, quod à Deo non fuerit ad certum & bonum finem ordinatum. Quod si fieret, non esset Deus omnipotens. Sic & D. Paulus & Augustinus: non præsciri solùm reprobatorum contumaciam & interitum, sed & vasa illa iræ à Deo præparari & ordinari ad demonstrationem gloriæ & potentiæ suæ.

*Atqui Augustinus videtur sensisse, propter præscitam fidem & incredulitatem hominem eligi vel reprobari.*

Verum quidem: sed illam sententiam retractavit, ut videre est lib. 1. Retractat. c. 23. & passim contra Pelagianos, in quibus illam sententiam damnat, quam etiam euertunt omnes causæ Prædestinationis.

*Quomodo id quæso?*

Deus enim Ephes. 1. ponitur causa efficiens. Christus materia in qua, quatenus sc. est Mediator. Nam quatenus *λόγος*, eligit nos cum Patre & Spiritu S. Formalis est nostra adoptio in filios Dei. Finalis, gloria Dei siue demonstratio misericordiæ & iustitiæ Dei. Deniq; pugnat cum Dei omnipotentia, ut Thomas Aquinas ipse agnuit, si Prædestinatio & Prouidentia causam non habent in ipso prædestinante & omnipotente: & sic Prædestinatio subiecta erit rei præuisæ in creatura, cum nihil esse potuerit in rerum natura, nisi voluisset & ordinasset. Elegit ergo nos, ut essemus sancti, non quòd essemus: & ipsa bona opera præparauit, Ephes. 2. Quare id quod est effectum Prædestinationis, inter causas numerari non potest. Verùm

& Scriptura & Augustinus causam electionis sæpe faciunt misericordiam, non Christi voluntatem aut decretum. Ideo prudenter distinguendum inter causas remotas & propinquas. Remota prima vna & summa est *arbitrii*: propinqua, misericordia in Christo.

*Sed rectène decretum illud Dei dicitur absolutum, aut homo absoluto Dei decreto prædestinatus?*

Absolutum, simplex non conditionale vocant hoc decretum nostri Theologi i. cum primam illam & summam causam inuentur, Dei omnipotentis voluntatem, cui nemo obicere potest, cur sic vel sic faciat, & cuius voluntas bona semper est. Ideo Matt. 11. 26. vbi illud mysterium quoq; attingitur, *in dicitur*, vocatur, id est, eo saltem loco, bonum iustumq; Dei placitum. Sic & Ioh. 6. *Hæc est voluntas Patris, vt quidquid mihi dedit, non perdam*: q. d. quod electi non pereant nec perire possint, pendet ab illa Dei voluntate. Contra per antihesi voluntas Dei est, vt qui non sunt dati Filio, nec credunt, iusto iudicio pereant. Ad illam ergo voluntatem, alias omnes causas antegredientem, nos deducit non solum Paulus, sed etiam Christus. Nam sicut verum est, nos eligi in Christo, & damnari homines, qui extra Christum inueniuntur, & illi non credunt: sic rursus non fit temerè, quod alii eliguntur, alii prætereuntur: aliis datur fides, aliis non datur: sed meritò cum Scriptura dicimus, id pendere à beneplacito Dei omnipotentis. Huius proprium est facere quod vult, & omnia tamen facere bene. Deinde non solum decretum absolutum vocant nostri Theologi, sed & ipsam electionem absolutam, nimirum respectu nostri, quod nihil in nobis præuiderit, cuius causa nos elegerit. Non est enim hæc electio talis, vt cum principes per Senatum Ecclesiasticum ex variis adolescentibus, eligunt nonnullos in alumnos, in quibus animaduertunt signa bonæ indolis & futuræ eruditionis. Nostri quippe respectu planè gratis sumus electi, antequàm non solum boni aliquid aut mali fecissemus, vt Rom. 9. probat Apostolus ex gemellis fratribus, Iacobo & Esauo: verum etiam

ante-

antequam essemus, ut agnoscamus, id esse ex Deo vocante ea, quæ non sunt, ut sint pro suo beneplacito. Præsciuit quidem, nos Christo insertum iri & credituros, sed ideò præsciuit, quia ex beneplacito ordinavit & media prædestinavit. Quo nomine Christus ipse destinatus dicitur Act. 17. 31. & ab August. lib. de Prædest. sanct. caput prædestinatorum. Quare respectu Christi non rectè diceretur Prædestinatio propositum miserendi, sed quatenus est Mediator ordinatus. Prædestinatio enim non solum est hominum prædestinatorum, sed & mediorum perducendum ad fines. Sic æterno consilio constituit Deus nonnullos eligere gratis in Christo, eos vocare, iustificare, glorificare: reliquos præterire, eos indurare, non impertiendo gratiam & tradendo Satanae ac suis cupiditatibus, ut in iis ostendat iram & potentiam suam. Quia igitur nec misericordiam nec iram poterat ostendere, siue decretum illud exequi, nisi homo laboretur: ideò talem creavit, qui labi posset, & spontanea tamen voluntate laboretur, ut homo propinqua & propria causa sui mali agnosceretur. Deus autem eligendo & servando multos miseros peccatores, misericors, multos reprobos & contumaces puniendo, iustus agnoscitur. Quatenus ergo Dei decretum & electio & reprobatio subordinata habet media à Deo præparata: rectè dici potest, non esse absolutum decretum, aut absolutam electionem, quâ, ut profani loquuntur, fiat, ut siue credamus siue non credamus, servemur: alii simpliciter damnentur propter decretum, non propter impietatem aut incredulitatem.

*Estne ergo certus numerus tum Electorum tum Reproborum?*

Omnino: ideo erravit Thomas Aquinas, qui electorum numerum quidem certum, reproborum incertum existimavit. Sed certus est numerus ille apud Deum, qui solus eos novit, non apud nos. Ioh. 13. *Scio quos elegerim*: & 2 Tim. 2. *Novit Dominus qui sint sui*: & per consequ. qui non sint sui. Errant etiam Iesuitæ Moguntini, qui putant, electos posse perire: cum

Matth. 25. dicantur *benedicti Patris, quibus paratum sit regnum à i-  
Elis fundamentis mundi: & Iohan. 6. ac 17. voluntas Patris sit, ne  
pereant dati Filio.*

*At qui nonnulli videntur deleri de libro vitæ ex loco Exod.*

32. dele me de libro vitæ: & Psalm. 69. deleantur  
è libro vitæ?

Scio nonnullos magnos viros anxie disputare de libro vitæ,  
quod & facit post Augustinū Thomas Aquinas. Sed vno ver-  
bo responderi potest, fallaciam esse figuræ dictionis. Sensus  
enim illius loci Exodi est, non habear pro tuo: & est loquutio  
partim hyperbolica partim hypothetica. Item Psalm. 69. orat, vt  
hypocritæ manifestentur, qui non pertinet ad cœtum electo-  
rum. subiicit enim propheta, *cum iustis non scribantur.* Ergo non  
sequitur statim, deleri aliquem è libro vitæ. Nam neque Deus  
propriè librum habet, inquit August. lib. 20. de civit. Dei, quo  
admoneatur: sed Apoc. 20. per librum vitæ Prædestinatio in-  
telligitur: neq; unquam mutatur illud Dei decretum. Vnde  
Luc. 10. *gaudete quod nomina vestra scripta sunt in cœlis.* Contra  
reprobi simili figura dictionis in epistola Iudæ dicuntur *ωρεγα-  
ρα γαμπίνοι εις το νεβρα.*

*Sed nonne in labyrinthum precipitari videntur homi-  
nes, si remittantur ad illum librum vitæ & æternum  
Dei decretum?*

Nequaquam: imò illam doctrinam ita vsurpent & accom-  
modent, vt Christus & D. Paulus eam vsurparunt.

*Quomodo id quæso?*

Quotiescunque de nostra Electione & Prædestinatione ad  
vitam certi esse volumus, ad signa & effecta, ac ad patefactio-  
nem Christi & Euangelii respiciendum est: Non autem variis  
& sublimibus speculationibus indulgendum, sed ex patefactio-  
ne Euangelii, sine acceptione personarum offerentis gra-  
tiam omnibus credentibus, erigendæ sunt mentes & applican-  
da est doctrina Electionis. Reprobi verò illi demum pronun-  
ciandi, qui contumaciter & vsq; ad finem Euangelio contra-  
dicunt,

dicunt, & Deo sunt inobedientes. Ceterum æternum Dei decretum eiusque *εὐδοκία* tunc demum cum fructu consideratur, quando vel nos consolari volumus, intuentes furores filiorum huius seculi & paucitatem credentium, ut hanc doctrinam Christus Matth. 11. Ioh. 6. & 17. item D. Paulus Rom. 11. usurparunt: vel quando fundamentum gratiæ & certitudinem nostræ salutis recognoscere volumus, ut Paulus Rom. 8. & 9.

*Cum vix vspiam in Scriptura doctrina prædestinationis, siue Electionem siue Reprobationem spectes, uberius tractetur quàm Rom. 9. explica mihi paucis seriem argumentorum Pauli.*

Postquam Apostolus superioribus capp. principalem illam suam propositionem confirmavit, Evangelium esse potentiam Dei ad salutem omni credenti, & solos credentes esse condemnationis expertes: cap. 9. anticipat hanc Iudæorum objectionem: Si vita æterna solis credentibus datur, fœdus cum Iudæis & promissio ipsis facta irrita videbitur, cum plerique eorum non credant Evangelio. Atqui irrita esse non potest. E. non solum credentes saluantur. Respondet per distinctionem Israelitarum & filiorum Abrahæ: non omnes, qui secundum carnem prognati sunt ex Abrahamo, censei filios & heredes, sed quos Deus æterno suo cõsilio & beneplacito voluerit esse filios: quod probat a vero illo filio & successore, qui stirps fuit familiæ sanctæ, nempe ab Isâco, quem Deus Abrahamo in decrepitate præter naturæ leges nasci voluit virtute promissionis, quæ inanis esse non potuit: quando quidem nihil promittit Deus, quod non decreuerit, & quod non possit efficere. Cum Abraham igitur existimaret, Ismaelem fore suum heredem, ut videre est Gen. 17. respondet Deus, *fœdus meum stabilia cum Isâco, quem Sara tibi pariet.* Item Gen. 21. *In Isaac vocabitur tibi semen,* id est, veri tui posteri & heredes ex Isâco tibi excitabuntur: nec id temerè, sed eius consilio & voluntate, qui pro arbitrio vocat ea, quæ non sunt, ut sint. Ergo manet quidè Dei fœdus

firmum cum familia Abrahami, sed cum iis demum, qui filii sunt promissionis, siue quos libet Deo & promittere & excitare, vt sint filii Abraham. Instantia verò hæc dari poterat: Atqui omnes Iudæi vt pote ab Isaaco oriundi sunt filii promissionis, & heredes terræ Canaan. E. ad omnes pertinet fœdus gratiæ. Respōdet, filios promissionis alios sic dici minùs propriè, quibus promissiones quidem oblatę fuerunt, & qui foris sunt in societate populi Dei, de quibus Esa. 1. *Filios educavi: at ipsi defecerunt à me.* & Matth. 8. *Filii regni eiicientur.* & Act. 13. *Filii generis Abrahæ: Vobis hic sermo salutis missus est: &c.* Alii propriissimè sunt filii promissionis, quibus illa datur, & qui eam accipiunt. Nam cùm promissio sit gratuita & fidem requirat, sequitur, eos propriissimè dici filios promissionis, qui credunt: credunt autem qui secundum propositum vocantur: de qua relatione inter promissionem & fidem, item de veris filiis Abrahę vide Gal. 3. Quia autem aliquid excipi poterat contra exemplum Isaaci & Ismaelis, quia Ismael ex ancilla natus erat, alterum adducit exemplum Apostolus ex cap. 2 §. Genes. & sic argumentatur: Vbi duo per omnia sunt pares, siue naturam, siue genus, siue alias qualitates spectes, & alter alteri præfertur, & quidem inferior priori: ibi electionem & vocationem ex mero beneplacito Dei, nulla habita carnis aut operum ratione, esse oportet. At in his duobus Iacobo & Esauo omnia sunt paria, & tamen Iacob alteri præfertur: maior seruiet minori. Ergo electio in filios Abrahę & filios Dei ex beneplacito pendet.

*Atqui si negetur consequentia: potuit enim Deus præiudicare opera eorum?*

Apostolus ipse præscientiam illam operum disertis verbis excludit: sicut capit. 98. Enchiridii ad Laurentium obseruat Augustinus: Neq; enim dicit ex futuris operibus, sed simpliciter Electionem non esse ex operibus, sed ex vocante iuxta propositum, & euerteretur tota disputatio Pauli, qui vbique hoc vrget, nos gratis seruari. Neq; opus fuisset moueri illas

obie-

obiectiones, an sit iniustitia apud Deum, si Deus futura opera respexisset. Vident enim omnes, equum esse, reici impios, seruari pios: verum cum omnes sint naturâ filii irę, nullum tale discrimen esse potuit.

*Quid hoc verò ad Electionem ad vitam aut Reprobationem facit, Maior seruiet minori: cum Iacob ipse per totam ferè vitam duram seruiet seruitutem?*

Non hic agitur de quavis seruitute, sed de tali quæ cum maledictione & odio Dei coniuncta est, vt postea ex Malachia testimonio ostendit Apostolus: & sicut Genes. 9. Cham seruus seruorum fratrum suorum futurus dicitur: quod tandem euentus comprobauit: dum Esau primogenitura excidit, & eius posterit tandem Israelitis subiecti fuerunt 1. Sam. 8.

*Quia loci Malachia facta est mentio, quid inde quæso colligit Apostolus?*

Vtramq; Prædestinationis partem, Electionem nimirum & Reprobationem, siue alios gratis ex beneplacito à Deo eligi & diligi, alios præteriri, & non eodem modo diligi sc. in Christo & ad vitam æternam.

*Atqui non omnium est eadem sententia, quid per Esau & Iacob intelligatur, an personæ ipsarum, an verò posteris item quid dilectio & odium ibi significant?*

De vtriq; & de personis Iacobi & Esau & eorum posteris est locus intelligendus. Infimum enim esset argumentum de posteris, nisi à duobus illis vterinis fratribus duceretur, in quibus tanquam in typo & stipitibus familiarum suarum Deus suam iustitiam & misericordiam declarare voluit, vt etiam testatur tota historia sacra, & 12. cap. Hebr. Esauum semper profanum hominem fuisse, & eius posteros acerbissimos & detestabiles hostes populi Dei. Vide Abdiam prophetam, & Psal. 137. Augustin. libr. 1. quæst. super Genes. scribit: Esauum figuram fuisse carnalium & improborum. Hilarius in illa verba Psal. 58. abalienati sunt ab vtero: sic inquit: *Esau ab vtero abalienatus*

fuit. Idumæus ergo & Esau prærogatiua carnalis nihil profuit, sed ty-  
pus fuere diuinæ maledictionis.

*Quid hac de re sentiunt Vbiquitarii?*

Non inter se consentiunt: doctiores nobiscum sentiunt, ut Heerbrandus in Theſibus: primùm Esau & Iacob intelligendum: secundò de posteris. Hunnius scribit illa quodammodo attingere personas Iacob & Esau. Sed Iacobus Andræ simpliciter negat de personis intelligi debere, sed de posteris tantum.

*Sed quid tibi videtur de eo, quod scribit Bucerus in 9. Rom. de Ismaele & Esauo his verbis: non est quod pronunciamus eos profus a Deo abiectos: malo credere vtriq; pietatem paternam profuisse, sed eterno Dei iudicio autores fuisse gentium, quæ insigniter impiæ fuerunt?*

Buceri Viri aliàs optimi & doctissimi coniecturis dubiis opponi possunt certa axiomata. 1. Si posterii reiecti fuerunt, multò magis ii, qui impiæ stirpis stipites & autores fuerunt, & quos Scriptura vt profanos describit. 2. Nullæ in Scripturis eorum virtutes, nulla cum sanctis societas recensetur. 3. Pietas patrû prodest quidem nonnûquam ad institutionem & inſitionem in visibilem Ecclesiam: non ad electionem & iustificationem. Nec propter Iacobi fidem seruati sunt eius posterii, sed propter Dei decretum & beneplacitum.

*Iam ergo de amore & odio dicamus, quibus argumentis colligi possit, Malachiam intelligere alterius electionem & reprobationem alterius.*

1. Ex circumstantiis textus prophetici. 2. ex applicatione Paulina. Certum est enim contra hypocritas & alios infirmos, qui Malachia tempore putabant, nullum esse discrimen inter pios & impios, (vide cap. 2. & 3.) proferre Prophetam certa & minimè fallacia argumenta fauoris Domini, nimirum Dei constantem amorem, qui Iacobum ab vtero dilexit, sibiq; segregauit, & gratiæ suæ admirabilis typum esse voluit: dilectio-

nem

nem verò & odium non simpliciter accipi siue generaliter, sed pro dilectione, qua filios suos Deus diligit, & à qua electi nunquam separantur Rom. 8. testatur textus ipsè Malachia. Sic etiam odium illud cõiunctum fuisse cum maledictione & ira Dei aeterna, vers. 4. Deinde Apostolus ex fratrum illorum exemplo & illo loco statuit, vocationē esse secundum Dei propositum: vnde liquet errare eos, qui hunc locum ad commoditates externas vel successionem terræ Canaan referunt. Si enim externis illis commodis metiri oporteret Dei amorem contra Iacobum, frater eius, qui locupletior fuit & splendidior, charior Deo fuisse videretur.

*Verum quomodo Deo Opt. Max. conuenit, vt oderit aliquem gratis & sine causa, antequam boni vel mali quid fecerit?*

Nonnulli respondent: odisse hoc loco accipi comparatè, & minus amare, phrasi vsitata in Scripturis Gen. 29. Deut. 21. Luc. 14. quòd se. Esauum non dilexerit in Christo. Sed responderi quoq; potest, odium Dei actuale, quod nõ solum est præteritio, sed & damnatio ac maledictio, causam habere propinquam in homine, profanitatem scil. & impietatem Esau: sed si *æternu*, que communis est electionis & reprobationis causa, spectes, illa semper est iustissima, nec causa eius, sicut nostri odii, inquiri debet. Ratio est libertas & iustitia Dei. Et sic verum est quod Fulgentius ad Monimum scribit lib. 1. capit. 30. *Prædestinationem Dei semper esse ad bonum*, id est, directam ad bonum finem respectu Dei, vel ad retributionem iustitiæ aut donationem gratiæ.

*Atqui, inquirunt, aliud est Electio, aliud Dilectio: Ergo Dilectio hic non significat electionem vel destinationem ad amorem.*

Resp. Subordinata non pugnant: Imò si Deum spectes, Electio & Dilectio, qua nos diligit in Christo, vnum sunt, licet ratione differant: quia amans eligit, & diligit gratis, vt postea ex Exod. 33. docet Apostolus: *misereror cuius miserus fuero*, id est,

cuius libebit misereri. Sed hic rectè monet Thomas Aquinas, misericordiae Dei multiplicem esse considerationem, sicut & dilectionis. Considerari enim aliquando, ut hoc loco, secundum Prædestinationem vel secundum propositum, quod ordine præcedit alia effecta, ut missionem filii, &c. Deinde considerari secundum varia sua effecta, ut cum dicitur, Ecclesiam non perire Dei misericordia: hominè seruari per Christi mortem.

*Quid porò eis respondebimus, qui obiiciunt exempla Ismaëlis & Isaaci, Iacobi & Esau, esse particularia, & ex iis vniuersalis Ecclesie electionem, aut reprobationem generalem impiorum non rectè colligi?*

1. Constabat Iudæis, illa exempla non esse simpliciter particularia, sed fuisse exemplaria & typos rerum futurarum, & familiam Abrahamæ repræsentasse conditionem Ecclesie futuræ. 2. Si Deus vllius generis aut operis habuisset rationem in hominibus seruandis, habuisset in illis summis Patriarchis & eorum posteris. Atqui non habuit. Ergo nec in aliis. Neque est mutabilis Deus, sed eadem est ratio salutis omnibus temporibus, ut scilicet omnes electi dati filio & credentes in eum seruentur. Sed Apostolus illis exemplis non contentus subiicit aphorismum hunc generalem ex Mose: *Deum misereri cuius vult, & per consequens indurare quem vult.* Et quia illud de reprobatione durius videbatur, nobile rursus exemplum proponit de Pharaone ex 9. Exod. Ideo scribit Augustin. Tom. 7. lib. 2. de Nuptiis & concupiscentia c. 16. hanc doctrinam esse catholicam, veracissimam, fundatissimam, Deum de vniuerso genere humano alios relinquere sub peccato, ut sint vasa iræ: alios liberare, ut sint vasa gratiæ. *Si quis, inquit, dicat: Ergo parat Deus vasa Diabolorum, arguant illi figulum: quasi verò non liceat illi uti illis vasis, ut ipso Diabolo utitur ad opera sua.*

*Verùm quid exemplum Pharaonis facit ad Reprobationem, cum nõ dicatur, reprobaui te aeterno decreto: sed ad verbum,*

*bum, feci te extare, vel constitui te, vel ut nonnulli legunt, feci te restare & superesse inter tot funera Ægyptiaca?*

Quomocunq; legas illum textū, rectè eum accommodat Apostolus ad suum institutum. Sunt enim verba Dei ipsius, apud quem nihil est fortuitū, & qui non temerè voluit esse aut superesse Pharaonē, sed æterno consilio: & dicitur Deus vers. 20. vasa iræ facere, & vers. 18. indurare quem vult. *Id, inquit Lutherus, liberrimo ore coram toto mundo dicit Apostolus.*

*Ergone Deus facit & creat homines ad interitum?*

Non equidem, si propriè loquamur. Alia verò est causa nascendi, inquit Augustin. alia pereundi: & Prouerb. 16. omnia fecisse dicitur propter seipsum. Et Paulus finē fuisse ait ostensionem potentiæ Dei, siue potentissimæ vindictæ contra contumaciam Pharaonis.

*Atqui Apostolus vers. 2. vocat reprobos vasa iræ coagmentata ad interitum.*

Chrysostomus responder, à seipsis coagmentata: sed id non conuenit cum mente Apostoli, qui Deum figulo aptanti sua vasa comparat. Melius ergo responderi potest, vasa dici coagmentata ad interitum, non quod finis creationis sit interitus creaturarum, nec quod Deus creauit hominem malum, sed quod non sine Dei prouidentia & determinatione labuntur ac pereunt, & sunt *περὸν γὰρ ἀμείνοι εἰς τὸ κῆμα*. Nec dubitemus dicere cum Augustino epist. 106. esse à domino creatos, quos in exitium ituros præsciebat. Id factum, quia sic voluit: cur voluerit, non esse nostrum inquirere.

*At videtur Augustinus alicubi, ut lib. 83. question. & a libi, sentire, occultissimis meritis præuisis reprobari impios?*

Sic nonnunquam Augustinus: sed Lombardus ipse libr. 1. distinct. 41. agnoscit id retractatum ab Augustino lib. 1. Retractat. c. 23. & lib. 1. ad Simplician.

*Atqui nos sumus omnes filii iræ naturæ Ephes. 2. nec tamen  
coagmentati ad interitum.*

Rectè: idè aliud est loqui de peccato originis, de quo Ephes. 2. aliud de Prædestinatione hominis condendi, vt Apostolus, cùm de massa agit. Nam non omnes filii iræ sunt filii perditionis, vt Iudas, coagmentati ad interitum.

*Sed Paulus ipse 2. Tim. 2. cum vasorum ad decus & dedecus mentionem facit, ait, vasa ad decus esse eos, qui se expurgant, non autem electos certo proposito.*

Apostolus ibi loquitur de signis & effectis Prædestinationis: cap. 9. Rom. de summa causa, quæ est beneplacitum Dei.

*Quomodo autem Deus dicitur indurare?*

Nonnulli ad Dei lenitatem & tolerantiam referunt: alii ad permissionem: sed, vt rectè monet Augustinus Enchirid. c. 10. non sinit nolens, sed volens. Et licèt Augustinus scribat, nunquam Deum indurare, quia nõ molit, nec impertitur gratiam: alibi tamen, vt de Gratia & libero arbitrio, affirmare non dubitat, Deum operari in cordibus hominum inclinando quò vult. Lutherus scribit, induratum Pharaonem & irritatum, Deo subinde offerente verbum suum illi contumaci homini, qui èò magis fremebat aduersus Deum.

*Annon ergo Deus videtur fieri autor peccati?*

Minimè: quia malitiam non instillat, sed requirit voluntatem & actionem, quatenus est actio & voluntas, ac dirigit ad bonum finè sui respectu, vt auriga agit equos bonos & claudos, nec est causa claudicationis. Homo itaque seipsum indurat, si malitiam spectes: si verò gubernationem naturæ, directionem ad finem & iustam vltionem, Deus indurat. Non agit causa secunda sine prima, sc. superstante & regente, sed nõ semper impellente aut malam dante qualitatem.

*Nonne autem melius suam potentiam ostendisset Deus, si omnes seruasset, quàm dum multi pereunt?*

Ille omnium optimè nouit, quid ad suam potentiam illustrandam faciat. Sed qui volet, videat Zanchium lib. 5. cap. 2. de at-

de attributis Dei, vbi causas aliquot commemorat, cur & gloria Dei & salus Ecclesiæ melius promoueatur ex pluriū quàm paucorum reprobatione.

## CAP. VI.

## De Obiectionibus præcipuis contra hanc doctrinam.

*Audiui quibus testimoniis V. & N. Testamenti confirmetur doctrina Prædestinationis: sed non ignoras, vix esse vllū dogma, quod rationem humanam magis offendar.*

Ita se res habet: Nec id dissimulauit Paulus, mouens ipse aliquot obiectiones, quas tamen ex intolerabili audacia proficisci ostēdit, quando homines Deo Opt. Max. iniustitiam impingere, aut fictilia cum figulo, creaturæ cum creatore disceptare non dubitant: cūnt illud potius Dauidicum axioma piis omnibus mentibus insculptum esse debeat, Psal. 25. *Pronus & rectus Iehoua.* & Psal. 36. *Iudicia tua instar abyssi sunt.* Deniq; cum Deo nihil sit maius, voluntatis eius causam querere est nefas.

*Verum difficile est assequi, quomodo cum doctrina Prædestinationis conciliari & coherere possit doctrina de libero arbitrio. Si enim eterno & immutabili Dei decreto omnia fiunt, quid loci relinquitur vel arbitrio vel contingentiæ?*

Laborarūt Scholastici valde in his duobus conciliandis: & inter alios An-helmus, qui peculiarem ea de re tractatum scripsit: & in eo laborant adhuc Pontificii, sed infeliciter. Nam dum suū liberum arbitrium tueri volunt, totam doctrinam Prædestinationis & iustificationis euerūt, fingētes magna ex parte mutabilem quandam & incertam Prædestinationē, quæ aliqua ex parte à nobis pendeat. Rectè autem monet Lutherus libr. de seruo Arbitrio, liberum arbitrium propriè esse diuinum nomen siue attributum, ei que competere qui solus potest facere quod vult, & tutius fore abstinere ab illa voce:

Augustinum etiam lib. 2. contr. Julian. vocare potius seruum hominis arbitrium, quam liberum, sc. si salutaria & supernaturalia spectes. Rursus tamen facile agnoscimus, quod idem Augustinus scribit lib. de Corrept. & grat. c. 1. liberum arbitrium & ad bonum & ad malum faciendum confitendum est nos habere: sed in malo faciendo quisq; est liber iustitiæ, id est, quasi emancipatus à iustitia, seruus peccati. In bono nullus liber esse potest, nisi liberatus fuerit ab eo, qui dixit: *Si Filius vos liberauit, verè liberi estis*, &c. Lombardus & alii definiunt liberum arbitrium facultatē discernendi & eligendi bonum, si adsit gratia. Sed id non quæritur, quid homo per gratiam agat, sed quid facultate sui arbitrii. Certum est autem hominem per se sponte semper ferri ad malum: quod ex eo apparet, quod eis succenset, qui eum à malo auocant: ideò peccatum meritò punitur & homini imputatur. Eatenus ergo liber rectè dicitur, quia quicquid vult vel boni per gratiam vel mali per corruptam naturam, sponte vult, nō coactè vt saxum, quod ab alio vi proiicitur. Agit, inquam, voluntas sine necessitate coactionis, sed non sine necessitate prouidentiae, quæ omnia determinat & ordinat, ita tamen vt naturam non destruat, sed omnia regat secundum suam naturam, vt sæpe docet Augustinus contra Pelagianos. vide lib. 2. de libero Arbitr. c. 2. Necessitas illa Prædestinationis vocatur à Scholasticis ex suppositione, siue infallibilitatis, quia ea non possunt non euenire, quæ Deus præsciuit & præordinauit: qui etiam corda hominum in sua habet manu, inclinans quò vult Proverb. 21.

*At qui hæc pugnare videntur, Necessitas & Libertas.*

Nullò modo: quod ex eo quiuis colligere potest, q; Deus necessariò bonus & omnipotens, & tamen liberrimus: Christus decreto & determinatione Dei infallibili mortuus, & tamen liberè mortuus.

*Dic mihi porrò, quid de eo sentis, quod Lutherus scribit contra Erasmi: omnino credendum est nihil fieri contingeter, sed necessario & immutabiliter: & ridiculam esse*

*esse distinctionem sophistarum, cum aiunt, omnia fieri necessitate consequentia, sed non consequentis. Nam, inquit Lutherus, necessitatem hanc vocant consequentia, Si Deus vult, necesse est, ut id fiat, sed non necesse est, ut id sit quod fit: exempli causa, ut homo sit immutabilis, sicut Deus: quod vocant Scholastici necessitatem consequentis.*

Iam aliquid supra dictum est, quatenus nostri admittant contingentiam, docentes, necessitatem euentus non tollere contingentem motum voluntatis. Humanarum enim actionum, quatenus humanæ sunt, principium & causa efficiens est voluntas. Sed quod opus suum sic exequitur homo, ut Deus ab æterno constituit, id est diuinum. Ita sæpe Deus suas bonas voluntates in malis hominum voluntatibus implet. Aug. Enchirid. cap. 101. Aliquid ergo diuerso respectu est necessarium & contingens. Respectu Dei, cui omnia sunt præsentia, & qui omnia determinauit, necessaria sunt omnia: nobis multa contingentia, antequàm fiant, respectu principiorum naturalium, quæ mutabilia & cõtingentia sunt. Sed hoc vult Lutherus, ea etiam, quæ contingenter sunt respectu causarum secundarum, sub Dei tamen prouidentia contineri, qui ea quæ fiunt, & modum, quo fiunt, determinauit. Ideò etiam Hyperius in locis monet, non nihil philosophicam esse distinctionem necessitatis absolutæ & consequentiæ. Nam ea ipsa, quæ necessitate consequentiæ fiunt, necessitate absoluta fieri: Exempli causa, resurrectio mortuorum, si causas secundas spectes, est contingens, non necessaria: si Dei decretum & ordinationem, necessaria est. Et Scripturâ, inquit Hyperius, *apertè non intricatè loquitur, Necesse est euenire scandala.* Et Augustinus lib. 3. de liber. arbit. c. 3. *Dei voluntas est nostra necessitas.*

*At si immutabili Dei voluntate homo labitur & peccat, videtur esse extra culpam, cum illi decreto & voluntati resistere non possit.*

Extra culpam nõ est homo. i. quia peccans nec Dei volun-

tatem nec illud decretum respicit, sed prauâ suâ voluntate à Deo se auertit. 2. Decretū non affert ipsi coactionē. 3. Deus in verbo patefecit, quid ab homine requirat: Mich. 6. *Indicauit tibi, ô homo, Iehoua, quid sit bonum, & quid à te requirat.* 4. Non punit Deus peccatores propriè, quia eos reprobauit, sed quia peccant & quidem cōtumaciter. 5. Non vt decretum est causa electionis, electio fidei & vocationis: sic reprobatio infidelitatis. Interuenit enim voluntarius lapsus & defectus à Deo, cuius causa est in homine.

*Atqui peccatum ad Dei gloriam facit. cur igitur ei succenset?*

Facit, sed non per se, aut quatenus est peccatū: verū quatenus dat Deo materiam ostendendæ suæ potentix & iustitię. Odit autem Deus peccatum, quatenus est *aiōpīa* & destructio suæ creaturæ: permittit & vult, quatenus vel est pœna peccati, vt cum impios tradit suis cupiditatibus: de qua re multa præclarè Augustinus aduers. Iulian. Pelagian. lib. 5. c. 3. vel quatenus vltionem iustam & potentiam suam exercet Deus contra præfactos: vel quatenus ex reprobis magis illustratur magna eius erga electos misericordia. Est itaq; Deus sua voluntate & providentia semper intentus in bonum finem: ideo nulla ratione culpandus: vt nec rursus gloriari potest homo peccans, quòd voluntati Dei obsequatur.

*Quid autem tibi videtur de illa distinctione voluntatis beneplaciti siue decreti æterni, siue absolutæ ac arcane: & voluntatis signi, siue reuelatæ?*

Scio multos ex nostris illam distinctionē Scholasticorum retinere: nec repudianda est bene explicata. Quanquam vt, quod sentio, dicam, durum & perplexum videtur dicere, reprobos peccando agere contra voluntatem signi, non contra voluntatem beneplaciti: quia hoc pacto Deus videretur habere pugnantes voluntates: & tacitè supponitur hoc falsum, quod Deus volūtate beneplaciti siue arcana velit peccatū, quatenus

est

est peccatum. Malim ergo dicere vnam esse propriè & constantissimam Dei voluntatem, quâ vult suos electos & omnes credentes in Christum atque agentes pœnitentiam seruari, ex quacunq; gente sint, & cuiuslibet ætatis ac sexus. Et huc referendæ sunt vniuersales illæ promissiones: *Non vult ullos perire, sed tendere ad pœnitentiam.* 2 Pet. 3. Rom. 11. *Omnes conclusit sub peccato*, omnes nimirum tum Iudæos tum gentes, vt ex toto illo contextu apparet, & concluduntur sub peccato, dum rei fiunt peccati, vt Rom. 2. & 3. vt omnium misereatur, sc. electorum vers. 7. qui inseruntur Christo vers. 17. Ita vult constanter omnes reprobos, quia nunquam credunt, & contumaciter repugnât Euangelio, perire. Constanti & æterna voluntate vult & approbat bonum: non vult nec probat peccatum, quatenus est peccatum: imò nec vult mortem peccatoris, nec ea deletatur, quatenus est destructio suæ creaturæ: sed vult, probat & poscit ab omnibus pœnitentiã & fidem: illam autem & ponit & efficit in electis.

*Quid tibi videtur de distinctione eorum, qui reprobationem aliam faciunt negatiuam, aliam affirmatiuam: Negatiuam, qua decreuerit gratiam multis negare, & cuius causa rectè dicatur Dei voluntas: Affirmatiuam, qua decreuerit ad iudicandum pœnis æternis reprobos, cuius causa non sit Dei voluntas, sed peccatum?*

Illam distinctionem rectè iudicant ineptã esse nostri Theologi, quia lacerat Dei Prædestinationem, & distrahit ea, quæ sunt connexa. Deinde supponi duo falsa. 1. impios ob præuisa opera mala reprobari, contra textum Pauli de Esauo. 2. aliquid fieri quod Deus non voluerit: cum Apostolus & indurationem & coagmentationem vasorum ad interitum non sine Dei voluntate fieri ostendat vers. 18. & 19.

*Vetus est obiectio contra doctrinam Prædestinationis, quod  
segiore videatur reddere homines ad bona opera, si  
prædestinati perire non possint ob æternum Dei decre-  
tum.*

Verùm iam pridem etiam ad illam obiectionem respondit Augustinus lib. 2. de Bono perseuerant. cap. 16. & quidem per Inuersionem: imò nihil tantopere homines acuerè ad bona opera, quia Deus non ad finem solùm, id est, ad salutem nos prædestinauit, sed & ad fidem ac bona opera, in quibus ambulent electi, & ad quæ conditi sunt Ephes. 2. Vnde fit vt Paulus 2. Cor. 13. scribat, *Vos ipsos tentate, num in fide sitis, nisi estis reprobi (sunt enim multi reprobi circa fidem 2 Tim. 3.) & 1 Pet. 1. Studete vocationem & electionem vestram firmam efficere, sc. per sanctam conuersionem: quatenus ex signis & effectis causa colligitur, adoptio nempe & electio.*

## CAP. VII.

## De Vsu huius doctrinæ.

*Qui sit autem, quod tam pauci rectum Vsum huius doctrinæ intelligunt?*

Eam ipsam ob causam, propter quam & Esaias cap. 53. & D. Paulus Rom. 10 queruntur, paucos credere Euangelio, sed eos tantum, quibus brachium Dei reuelatum est. i. potentia eius admirabilis in seruandis electis. Licet ergo Euangelium tectum est iis, qui pereunt 2 Cor. 4. non est tamen reticendum, nec reticenda hæc doctrina, vt copiosè Augustinus monet lib. 2. de Bono perseuerant. ne fraus fiat iis, qui capere possunt, & ne cautiore esse velimus Spiritu S. qui tam euidenter in Scripturis hanc doctrinam tradit. *Qui est sapiens, inquit Oseas cap. 14. intelliget ista. Nam rectæ sunt via Iehouæ, & iusti ambulabunt in iis: defectores autem impingent.*

*Quotuplex igitur est vsus huius doctrinæ?*

Multiplex certè: sed ad tria hæc capita reuocari potest: ad doctrinam, ad consolationem, ad institutionem, quæ est in iustitia.

*Quid.*

*Quid vocas doctrinam?*

Confirmationem capitum Religionis siue dogmatū. Nam doctrinam de Dei natura & de iustificatione nemo vnquam bene intelliget, qui Prædestinationis doctrinam nō intelligit.

*Quomodo id queso?*

Deum non agnoscit qui non agnoscit omnipotentem: Omnipotentem non agnoscit, qui non omnia & singula prouidentissimè ab eo ordinari & ad fines suos dirigi agnoscit: qui aliquid in cælis aut terris fieri putat, quod ille simpliciter fieri noluerit: Psal. 115. *Omnia quæ voluit Iehoua fecit in cælo & in terra.* Esa. 46. *Consilium meum stabit, & omnem meam voluntatem faciam:* quod Nebucadnezar ipse agnouit Dan. 4. Deum in cælo & in terra omnia pro sua voluntate facere, nec esse, qui dicere possit, quid fecisti? Deum non agnoscit, qui voluntatem eius non summam rerum causam agnoscit, eamq; sapientissimam, iustissimam, etsi eius rationes nobis sint incognitæ. Nam cum D. Paulo adorare nos conuenit profundas diuitias sapientiæ Dei & inscrutabilia eius iudicia, Rom. 11.

*Quid verò ad doctrinam iustificationis momenti habet hæc doctrina?*

Plurimum sanè: Neque enim satis est te credere, nos per Christum iustificari, nisi credas, eos demum sic iustificari, qui gratis in eo electi sunt, & quibus datur fides. Euertunt itaque illi omnia, quæ de gratuita iustificatione docent, qui sentiunt, penes hominem esse credere vel non credere: vel nos ob præscitā fidem eligi, cum Prædestinatio sit fons nostræ vocationis & iustificationis: vt docet Apostolus Rom. 8. & 9. item Ephes. 2. & 2 Tim. 1. 9. Ideo Apostolus cū eorum, qui à pietate aberrant, meminit, reuocat nos 2 Tim. 2. ad istud fundamentum Dei solidum: *Nouit Dominus qui sunt sui.* & 1 Ioh. 2. *Enobis egressi sunt* (sc. hypocritæ) *sed non erant ex nobis*, id est, electi. Illis enim & fides datur & perseuerantia, Actor. 13. 48. Et hic est scopus totius ministerii, vt electi colligantur & salutem consequantur in Christo. 2 Tim. 2. 10.

*Ad consolationem quomodo facit hac doctrina?*

Multis modis. 1. De certitudine nostræ salutis nos maximè confirmat: quandoquidem illa non à nobis aut causa aliqua mutabili, sed ab æterno & immutabili Dei beneplacito pēdet. Vnde fit, vt in medijs imperiorum ruinis & horrēdis defectio- nibus multorum electi seduci & perire non possint, inquit Christus Matt. 24. quia nimirū sunt benedicti patris Matt. 25. & dati sunt filio custodiendi Ioh. 17. & virtute Dei custodiu- tur per fidem 1 Pet. 1.5. licet sæpe ad tempus pessimam ducant vitam, inquit Augustin. lib. 5. contr. Iulian. vt illustrior sit Dei misericordia. 1 Tim. 1. 13. & 16. Deindè vt maximè multis affli- ctionibus sint expositi, sciunt omnia conferre ad bonū iis, qui ex proposito vocati sunt Rom. 8. 28. Tertiò licet horrendam cæcitatē & teterrimos furores in mundo videāt contra Eu- angelium, non tamen dubitant, quin Deus sit seruaturus Ec- clesiam, quæ est cœtus prædestinatorum ad vitam æternam Luc. 12. *Ne time, parue grex: nam visum est patri vestro, &c.* Sciūt excæcationem illam reproborum non esse fortuitam, sed vt Christus monet Ioh. 12. iuxta Scripturam & iustum Dei iudi- cium: *Propterea non poterant credere, quia dixit Esaias, excaca- uit oculos eorum.* Qui locus de euentu intelligendus est à Deo præuiso & præordinato, non de causa propinqua incredulitatis.

*Quomodo deniq; ad institutionem facit doctrina Prædesti- nationis?*

Dum eligit nos Deus in Christo Ephes. 1. vt simus sancti & inculpati coram eo: ideo vasa illa ad decus sanctificata & ad omne bonum opus comparata, de quib. 2 Tim. 2. virtute Spi- ritus Regenerationis, quo donantur, sese expurgant. Atque ita electi in enauigando mari huius mundi vtrunque scopu- lum, *Scyllam & Charybdin*, videlicet securitatē carnalem & dif- fidentiam vitant, dum seriò se coram Deo humiliant, totamq; salutem soli eius gratiæ acceptam ferūt, & interim spem suam tanquam tutam & firmam anchoram obtinent.

APPEN-

# APPENDIX.

## EXPLICATIO LOCI EPHES.

### I. VERS. 4.

*Elegit nos (Deus) in ipso (Christo filio suo dilecto) ante mundi creationem, ut simus sancti & inculpata in conspectu suo per charitatem.*

**H**ic fundamentum & primam causam tam vocationis nostræ, quàm bonorum omnium, quæ à Deo percepimus, facit Apostolus æternam Dei electionem. Ergo si causa quæritur, cur nos pro multis aliis in Euangelii participationem vocauerit Deus, cur tot tantisque beneficiis quotidie nos dignetur, cur nobis cætum, propter peccata nostra oclusum, aperiat: semper recurrendum est ad istud principium, quia scilicet, antequàm mundus esset, nos elegit. Porro ex ipso tempore colligendum est, gratuitam esse electionem. Nam quæ potuit nostra esse dignitas, aut quodnam extitit nostrum meritum, antequàm mundus esset conditus? Puerile enim est cauillum istud sophisticum: non ideò electos esse, quia iam essemus digni, sed quia dignos fore Deus præuidebat. Nam perdit omnes & singuli sumus in Adam primo nostro parente. Itaque nisi electione sua redimat nos Deus ab interitu, cui ob transgressionem sumus obnoxii, nihil aliud præuidebit. Eodem argumento vitur Apostolus epist. Rom. 9. vers. 11. de Iacobo & Esauo loquens: *priusquàm nati essent, inquit, aut aliquid boni vel mali egissent.* Exciperet Sorbonius aliquis sophista, acturos fuisse, idque Deo fuisse præcognitum. Atqui frustra hoc excipitur de hominibus natura corruptis, in quibus nihil cerni potest, nisi exitii materia. 2. Confirmat gratuitam esse electionem, cum addit in Christo. Nam

si in Christo sumus electi, ergo extra nos, id est, non intuitu dignitatis nostræ, sed quoniam ad optionis beneficio cælestis pater nos inseruit in Christi corpus. Demum Christi nomen omne meritum excludit, & quicquid ex se habent homines. Nam ex quo dicit, nos in Christo electos, sequitur, indignos fuisse in nobis.

*Vt simus sancti*)

Finem proximum notat, sed non præcipuum. Neque enim absurdum est, eiusdem rei duplicem esse finem: quemadmodum ædificandi finis est, vt sit domus: finis tamen ille est proximus: vltimus autem est habitandi commoditas. Hoc idè fuit obiter attingendum, quia Paulus statim alterum finem ponet, nimirum gloriam Dei. Verùm nihil est repugantiæ: siquidem gloria Dei summus est finis, cui nostra sanctificatio subordinatur. Ceterum hinc colligere licet, sanctitatem, innocentiam & quicquid virtutis est in hominibus, fructum esse electionis. Itaq; expressius etiamnum hac particula evertit Paulus omnem meriti considerationem. Nam si quid præiuderet in nobis Deus electione dignum, omnino contrarium, quàm hîc legitur, dicendum fuit. Etenim significat totum id, quod sanctè & innocenter viuimus, ex electione Dei manare. Vnde igitur fit, quòd alii piè viuant in timore domini: alii securè se prostituunt ad omnis generis nequitias? Certè si Paulo credimus, (vt credimus, quia omnia ex dictamine Spiritus Sancti consignauit) non alia est causa, nisi quòd hi ingenium suum retinent: illi ad sanctitatem electi sunt. Causa sanè non est posterior suo effectu. Ergo electio à iustitia operum non pendet, cuius ipsam esse causam testatur hîc Apostolus. Præterea hoc membro significat, electionem non dare licentiæ occasionem hominibus: quemadmodum impii blasphemāt, Viuamus securè vt libuerit: nam impossibile est nos perire, si electi sumus. Paulus autem reclamationem, perperam separari vitæ sanctitatem à gratia electionis, quia eisdem vocat Deus & iustificat quos elegit. Quod autem olim Cathari, Cælestini &

Dona-

Donatist  
sectos esse  
toto vitæ  
tingemus  
nationis  
hilem lab  
noxiam e  
dorité &  
lo, dum i  
bis propo  
rus fons e  
tio, quia  
illis os ob  
meminer  
puter, ne  
riculosè

Sancti  
decipitur  
cordis ve  
sus erit, D  
se, vt nos  
cum prop  
lium in cl  
ritatem, v  
gatotam

Plus sa  
defection  
felli: præ  
nomè pr

Donatistæ ex his verbis inferebant, posse nos in hac vita perfectos esse, nihil habet ponderis. Hæc enim est meta, ad quam toto vitæ curriculo contendimus. Itaq; nunquam ad eam peringemus, nisi confecto nostro stadio. Vbi sunt, qui Prædestinationis doctrinam horrent ac fugiunt tanquam inextricabilem labyrinthum? Imò qui non modò inutilem, sed propè noxiam existimant? Atqui nulla est pars doctrinæ utilior, modò ritè & sobriè tractetur: nempe qualiter hîc tractatur à Paulo, dum in ea immensam Dei bonitatem considerandam nobis proponit, & ad gratiarum actionem incitat. Hic enim verus fons est vnde haurienda est diuinæ misericordiæ cognitio, quia vt in aliis omnibus tergiuersentur homines, electio illis os obstruit, ne quid sibi arrogare audent vel queant. Sed meminerimus, quorsum hîc de Prædestinatione Paulus disputet, ne alios fines in disputationibus nostris spectando, periculosè erremus.

*In conspectu suo per charitatem)*

Sanctitas in conspectu Dei est puræ conscientiæ: quia non decipitur externo fuce vt homines, sed fidem respicit, hoc est cordis veritatem. Dilectionis nomen si ad Deum referas, sensus erit, Deum solo erga humanū genus amore inductum fuisse, vt nos eligeret. Sed magis arridet illa sententia, quando cum propiore coniungitur, vt denotet, perfectionem fidelium in charitate sitā esse: non quia Deus requirat solam charitatem, verū quia probatio sit timoris Dei & obedientiæ erga totam Legem.

2. TIMOTH. 2. 19.

*Solidum stat fundamentum &c.)*

Plus satis experimur, quantum pariant offendiculū eorum defectiones, qui eandem nobiscum fidem aliquādo sunt professi: præsertim verò si id hominibus notis contingit, quorum nomē præ aliis celebratum fuit. Nam si quis ex vulgo deficiat,

non ita mouentur. At verò, qui excelluerunt communi hominum opinione, sicuti prius columnæ videbantur: ita cadere nequeunt, quin alios in commune præcipitium trahant: saltem nisi aliunde fulciatur eorum fides. Hoc agit Paulus in his verbis. Significat enim non esse causam, cur labascant pii, etiamsi videant ruere, quos putabant esse firmissimos. Ceterum hac consolatione vtitur, hominum leuitatē aut perfidiam non posse obstare, quo minus Ecclesiam suam Deus ad extremum vsq; seruet. Ac 1. quidem nos reuocat ad Dei electionem, quam metaphoricè appellat fundamentum, firmam & stabilem eius constantiam hoc nomine indicans. Quanquam hoc totum pertinet ad certitudinē salutis nostræ comprobandam, siquidem ex electis Dei sumus: ac si diceret, non pendere electos Dei ex variis euentis, sed inniti solido & immobili fundamento, quia in manu Dei sit eorum salus. Nam sicuti omnem plantationem, quam non plantauit pater cœlestis, eradicari oportet: ita nullis ventis aut procellis obnoxia est radix, quæ manu eius est fixa. Sit ergo hoc primum: in hac tanta infirmitate carnis nostræ electos tamen esse extra periculū, quia non stent propria virtute, sed in Deo sint fundati. Quod si fundamenta hominum manu iacta tantum habent firmitudinis, quantò solidius erit quod ab ipso Deo positum est? A nonnullis quidem refertur hoc ad doctrinam, ne quis eius veritatem æstimet ex hominum inconstantia: verum ex contextu facillè colligitur, Paulum de Ecclesia Dei loqui aut de electis.

*Habens sigillum hoc)*

Quia nomen *signaculi* quosdam fefellit, qui notam vel insigne ita vocari putarūt: Calvinus maluit *sigillum* reddere quod minus habet ambiguitatis. Et sanè intelligit Paulus sub arcana Dei custodia, tanquam signatorio annulo cōtineri salutē electorū, quemadmodū Scriptura testatur, scriptos esse in libro vitæ. Porro tam nomē sigilli quàm sententia, quæ sequitur, admonet, non esse ex sensu nostro iudicandum de electorum vel multitudine vel paucitate. Quod enim obsignauit Dominus, nobis vult quodammodo esse clausum. Deinde si proprium

Dei

Dei est,  
gnus nu  
Semper  
nem fac  
niat in m  
à nobis  
concuti  
etiam cō  
quod Ec  
nimo pat  
erant: q  
est. Ergo  
ac spem r  
tem veni

Sicut  
trepidati  
to tali hy  
ne Christ  
Deus hyp  
scamus si  
continga  
Dei esse p  
absit. Na  
gloriarie  
dū Esa. 4  
significat  
& nomen  
men reti  
Iren. lib.  
augeamur  
totius, sua  
odio, ut sup  
lemus ut d  
sua & man  
tate, studen

Dei est, nosse, quinam sint sui, non mirum est, si nos sæpe magnus numerus lateat, si fallamur etiam in delectu habendo. Semper tamen notandum, cur & in quem finem *sigilli* mentionem faciat, nempe cum videmus tales casus, ut mox nobis veniat in mentem quod docet Iohannes, ex nobis non fuisse qui à nobis exierunt. Vnde sequetur duplex fructus, quod non concutietur fides nostra, ac si ab hominibus penderet: neque etiam cōsternabitur, ut in rebus inopinatis fieri solet. Deinde quod Ecclesiam nihilominus saluam fore persuasi, æquiore animo patiemur reprobos abire in suam sortem, cui destinati erant: quia manebit integer numerus, quo Deus contentus est. Ergo quoties aliquid subitæ mutationis præter opinionē ac spem nostram in hominib. accidit, statim hoc nobis in mentem veniat, *Nouit Dominus qui sunt sui.*

*Discedat ab iniustitia)*

Sicuti prius scandalo occurrit, ne vllius hominis apostasia trepidationem nimiam incuteret fidelibus: ita nunc proposito tali hypocritarum exemplo docet, non esse ficta professione Christianismi cum Deo ludendum: ac si diceret, cum ita Deus hypocritas vlciscitur, eorum nequitiam detegendo, discamus sincera conscientia eum timere, ne quid nobis simile contingat. Quisquis ergo Deum inuocat, id est, se ex populo Dei esse profitetur ac censerì vult, ab omni iniquitate procul absit. Nam hîc inuocare nomen Christi perinde valet atque gloriari eius titulo vel iactare se esse ex grege illius: quæadmodum Esa. 4. 1. & Gen. 48. 19. inuocari nomen viri super mulierē significat mulierem censerì legitima coniugis appellatione: & nomen Iacob inuocari super totam sobolem est familię nomen retineri perpetua serie, eò quòd originem ab ipso ducat. *Iren. lib. 2. c. 47. Exerceamus quidem nos per inquisitionem mysterii: augeamur autem in caritate eius, qui tanta fecit & facit propter nos, totisq. studiis hoc agamus, hoc meditemur, hoc urgeamus, ut liuore, ut odio, ut superbia, ut auaritia, ut libidine purgemus animum, & ambulemus ut dignum est in vocatione, qua vocati sumus, cum omni modestia & mansuetudine, cum omni lenitate, tolerantes alii alios per caritate studentesq. seruare vnitatem Spiritus per vinculu pacis. AMEN.*



*[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*

QV  
NIC  
GV

DVÆ EPISTOLÆ,  
QVIBVS TOTIDEM  
NIC. SERARII IESVITÆ MO-  
GVNTINI AD DAN. TOSSANVM  
litteris responderetur.

G 3

DUAE EPISTOLAE  
QUIBUS TOTIDEM  
NIC. SERARII IESUITE MO.  
EXPOSITIO AD DAN. FERRARIUM  
HUIUS RESPONDENT.

Qu  
P

DA  
AD

**N**

fessorem  
IESU  
de a puer  
STI vo  
re. Sed n  
multipli  
in tam v  
plena ep  
conavi, o  
epistolam  
angelium

Quia Nicol. Serarius suas ad Dan. Tossanum publici iuris face-  
re voluit: has quoq; quibus Serario responderetur, edendas  
putauimus.

I.

DANIELIS TOSSANI  
AD PRIOREM NICOLAI SE-  
RARIUM MOGUNTINI PRO-  
fessoris epistolam Re-  
sponso.

**N**ON enim uerò, doctissime D. Serari, mi-  
ratus sum, hominem non mihi planè igno-  
tum: (nā uel ex tuo in Franc. Puchium  
scripto, dum te Herbipolis adhuc habe-  
bat, innotescere mihi cœpisti) Professore  
Moguntinum ad Heidelbergensem Pro-  
fessore: eum, qui se Catholicum, & quidem ex societate  
IESV profitetur, ad me qui Catholicam, Apostolicamq; fi-  
dē à pueritia didici, & uir factus docui, in IESU CHRIS-  
TI uerò societatem in Baptismo palàm transi, literas da-  
re. Sed miratus sum (ut ingenuè tibi confitear) hominem tam  
multiplicis doctrina, tam grauibus occupationibus deditum,  
in tam uerbosa, ubi opus non erat, & in tot contradictionibus  
plena epistola, otio, atq; stylo abuti: mihiq; iam persuadere  
conari, optimo animo ad me scribi: iam, & quidem per totam  
epistolam, sepia atramento, me, & totum prædicantium Eu-  
angelium Christi ordinem perfundere. Mirum ni & Domi-

nicanos, qui vulgo Prædicatores nominantur, & vestri ordinis fastum pariter æquo animo ferunt, simul notare volueris.

Sed ad rem, mi domine Serari: ne tecum abeam extra oleas, dum te, ut rectiore via omnia apud te reputes, cohortor: profiteris in vestibulo epistola, te paucis agere velle, & litigare nolle. Repetis id ipsum in fine epistola: te non conuiciis, sed argumentis: non de me, siue de mea persona, sed de re, id est, de crimine literarum interceptarum agere. Interim nihil habet tua epistola præter plenas à iudicibus scoticarum vellicationum, & inanem ostentationem multiplicis lectionis: sicut vestri ordinis homines huiusmodi verborum phaleras, & ampullas affectant: valde disertæ, dum in thesi versantur: cum verò ad hypothesin veniendum, fluctuantes, atque inermes. Ceterum memor ero illius exempli Domini IESU, in cuius societate annis plus minus 60 per Dei gratiam vivo: qui conuiciis affectus, non vicissim conuiciabatur, & malis affectus non minabatur: sed committebat causam ei, qui iustè iudicat. Imo, quid si tibi ipsi, D. Serari, totam hanc litem, quam mihi intentas, diiudicandam committam? Nimis nimis crede mihi suspicionibus vanis, aut forte Iodoci tui Calui suggestionibus, vel Corycaorum & emissariorum vestrorum delationibus aures patefecisti: planè immemor eius, quod ex S. Augustino, in tua epistola protulisti: ego vero nunc tibi regero: TRISTIS SVM, quòd tenaciter inhæstisti suspicionibus falsis, partim aduersus me, partim aduersus ipsam veritatem. Imo mirum, cum ne quidem ad vos sit

relatum,

relatum, me literas interuertisse, sed vel me, vel D. Gernandum aliunde accepisse: aut fortè à nescio quo Goularto Geneuensi qui se vestrarum partium esse simularit, easq; vobis expresserit, nobis missas: tam atrocem & grandem dicam mihi scribere, primum ex historia Thobia, (quo autore vos peculiariter delectari, ex patris Thanneri velitationib. Ratisbonensibus cum D. Hunnio, nuperrimè cognoui.) deinde ex Esaia, ex Apocalypsi: nec non ex Bartolo, & iuris vtriusq; penetralibus, imò & ex ipsis Iudaorū Rabinis. Vah, quis in uno homine tantos eruditionis thesauros reconditos fuisse vnquam putasset? Ad illa tamè omnia diluenda, non grandia, sed fortia: non magnos eloquentiæ torrentes, sed leniter fluentes riuulos Schilohæ, & veritatis simplicissimam orationem conferam. Non euoluam tractatus tractatum Iureconsultorum, nec odiosè obijciam vobis, leges, decreta, responsa, & rescripta, quæ Academia Parisiensis per suum oratorem, & Iureconsultum Pontificium Antonium Arnaldum publicis actionibus vobis obiecit. Rem, ut sese habet, bonâ fide narrabo, teq; tuis dubiis, & virum clarissimum D. Doctorem Ioh. Gernandum nostrum, omni suspicione liberabo.

Superiore Octobre ex Lotharingia, & Burgundionum finibus illas literas vestras, de quibus agitur, ad me misit, homo quidam mihi ignotus, quod sciam: gente Leodius, & ut ab aliis intelligo in scholis Pontificiis educatus, quas non ita pridem reliquit. Paucis scribit, se in itinere aliquem habuisse obuium, à quo, fortè in symposio, (de quo mihi tamen non con-

stat) illas acceperit: & nobis mittendas putauerit, quod summum nostrum magistratum contenta illis literis, resciscere esset operae premium, propter literarum autorem, ingratisimum Principis nostri alumnum, & clientem: (tui nulla planè mentio fiebat:) petere itaq; ut superioribus nostris litera illa, quas apertas mittebat, quamprimùm exhiberentur. Manus Iodoci Calui cùm mihi non esset nota, eas ostendi reuerendo viro D. Doctore Pareo, collega meo, qui & manum Iodoci statim recognouit, & statim inspecto fasciculo questus est, Iodocum mala fide descriptam suam epistolam, mutilatam nimirum, Romam mittere voluisse. Postridie, ut nostra erga magistratum obseruantia postulabat, superioribus exhibitus fuit fasciculus: apud quos sunt adhuc autographa: nec mihi vel exemplum reseruare volui. Quid illo fasciculo sit factum, quando, quibus, quò missum exemplar, ignoravi hactenus. A me nec missum Moguntiam, nec ullas notas adscriptas, nullas lineas ductas affirmo, & si inquiris, ex vestra Cancellaria viris proculdubio cognoscet: mihiq; iniuriam à te fieri, amplissimus noster Senatus nouit, & si opus erit, testabitur. Ad hæc, mi Serari, liquidò asseuerare possum, me illi Leodio, qui fortasse gratiam aliquam apud me aucupabatur, respondisse nihil: nec scire, quisnam terrarum angulus ipsum nunc habeat. Neque enim (crede mihi) ita faciles sumus in ijs admittendis, qui à vestris sodalitijs ad nos veniunt: neque dispensandi de omnibus criminibus, quemadmodum à vestris Pontificibus fieri solet, potestatem nobis arroga-

mus. Sed hæc ( uti arbitror ) tibi satisfacient : at non æquè fortassis Iodoco Caluo , qui dum in nostris Scholis viueret , Iusti Caluini nomen ambiuit . Nunc veteribus Castris relictis , merito nomen & cognomen auitum repetere debet , ut omnibus etiam liqueat , ad mutationem nominis factam mutationem Hominis : sicut de vestris pontificibus Canonistæ nonnulli scribunt . Illi , inquam , Iodoco dolet , faciliè ex Epistolis cognosci quid apud vos quaerat : nempe opes & honores sub diuite Papa , qua omnia sub paupere Christo apud nos obtinere ex animi sententia non potuit . Apud hunc , & similes ingratos erga pios suos magistratus , imò struentes insidias vitæ Regum , & Reginarum , non apud me concordia Principum ( maxime verò vicinorum ) studiosissimum , differere & declamitare debes , de studio pacis , & præcauendis dissensionibus inter Principes vicinos . De uxore detenta , de midtis suis perpeffionibus verba vobis dedit impostor , ad martyria , & crucem ferendam parùm comparatus : ad blandiendum Papæ , & piscationem auream , non verò Petri nam totus apparatus . Quòd vestrorum hominum facilitatem & humanitatem ad nostros excipiendos , si qui vestras bibliothecas visere cupiant , mirè prædicas : in eo scias nos vobis nihil concedere : sicut proculdubio testabuntur , quicumque ex vestris , vel nostros Bibliothecarios vel professores aut regentes salutare dignati sunt .

*Et ego tibi nominatim mi D. Serari, omnia officia Christiana lubens defero, tibi que ex animo precor veram societatem cum Domino Iesu unico Seruatore, & Capite corporis sui. Vale postrid. Epiphan. 1602.*

*Litera tua nonis Decembris scripta 4. Ianuarii demum Spirâ missa, mihi exhibita fuerunt.*

AD



II.  
AD POSTERIOREM  
NIC. SERARII EPISTOLAM  
PRO D. TOSSANO RESPON-  
SIO EVSEBII N.

**N**ESCIO quo casu nuper, Serari, in amici cuius-  
dam bibliotheca, aliud agens & quarens, in Iusti  
Baronii Veteracastrensis (qui tamen Vete-  
ra castra deseruit) epistolas sacras an. 1605. edi-  
tas, & mihi antea non visas, incidi. Vix aperto libro D. Tol-  
fani p. m. viri & de me, & de Ecclesia Christi optime meri-  
ti, nomen in illis conspicio, & inter alia binas tuas ad ipsum  
litteras. Statim libido animum incesit videndi, quid tu ad  
illum. In prioribus grandem te ipsi dicam interceptarum lit-  
terarum impingere cognoui: ex posterioribus, crimen illud ab  
eo quidem depulsum, tibi autem nondum satisfactum didici.  
Mirari subiit, tuas illas priores typis fuisse editas, suppresso,  
quod accepisses, responsio. Id siue tuâ siue Baronii tui, siue v-  
triusq; (quod magis crediderim) culpâ factum sit, nunc expo-  
stulare nihil attinet. Requirebat tamen iustitia & equita-  
tis lex, ut vtraque pars audiretur: cumque plurimas paginas  
falsa tua accusationi tribuisses, pauculas saltem reo, quo se de-  
fenderet, negare non oportebat? Veteres olim Romani me-  
lius, qui, ut non ignoras, duas horas accusatori, tres reo ad

defensionem dabant. Sed & illud valde miratus sum, tibi in mentem venisse, ut ad defunctum scriberes: quod in posterioribus fecisti. Nam si tum, cum illas scriberes, D. Tossanum p. m. vitam cum morte commutasse ignorabas, cur eas Heidelbergam non misisti? aut cum, intellecto ipsius obitu, te latere non posset, vel ex operibus Theologicis, quæ postea heredum operâ prodierunt, superesse, qui tibi, si quid velles, satisfacere possent: cur non prius litterarum illarum exemplum ad illos misisti, (cum præsertim scriptio tantum priuata tibi cum D. Tossano intercessisset) quam illas typis diuulgasti? An autem Baronius ille vester satis causâ habuerit, D. Tossanum, suum olim præceptorem ac præsidem, cuius summam humanitatem & beneuolentiam, dum apud nos esset, erat expertus, epistolâ amarulentâ publicè post ipsius obitum exagitare, nunc non disputo. Nihil ille sibi rei cum D. Tossano, discipulus parùm gratus, esse scribit: nec mihi erit cum illo. Gaudeat ille suis titulis & honoribus, quos viâ magis compendiariâ apud vos adeptus est, quàm si apud nos mansisset. Interim, ut B. Petri verbis utar, satius illi fuisset, non cognouisse viam iustitiæ, quàm illâ cognitâ regredi à sancta doctrina, quæ ipsi fuerat tradita. Iusti nomen usurpauit, quod se tueri non posse verebatur, nisi ad eos, qui propriam iustitiam constituere student, se transferret. Hoc autem pacto verâ iustitiâ, quæ nobis per Christum parta est, excidit, & nomen gerit inane. Quòd si D. Tossanus  $\delta\pi\sigma\tau\alpha\sigma\iota\alpha\iota$  illius grauius molesteque tulit: si Ecclesiam,

sua

sua cura commissam, aduersus scandalum ab illo datū, quā potuit, diligentissimè munit: si auditores & studiosam inuentutem de cauenda eiusmodi leuitate & inconstantia fideliter pramonuit: nihil prater officium fecit. Nec est, cur multis refellam, quæ vester ille ad marginem suæ epistola de infelici ipsius obitu nugatur. Non potuit infelicitè mori, qui verà in Christum fide & constanti veritatis Apostolica, quam multos annos in Ecclesiis & Scholis docuerat, agnitione & professione, testibus multis eximiis & prastantissimis viris, diem suum clausit. Mihi autem tecum, Serari, pro eo, quo D. Tossanum p. m. prosequor, pietatis affectu, res est, eò quòd non contentus illum, dum in viuis esset, litteris tuis ultrò prouocasse, etiam manes ipsius, post obitum, in pace quiescere non es passus. Quanquam agam tecum placidè, ut ingenium meum fert: & si quadam duriora tibi videbuntur, quàm ut possis commodè deglutire, non mihi, sed litteris illis tuis, quæ alibi moderatiores esse poterant, imputes velim.

Principiò, ut in prioribus tuis D. Tossanum p. m. falsò atq; imprudenter interceptarum & resignatarum litterarum tuarum insimulaueras: sic, quæ ille tibi de aduerso earum fato, & quomodo in suas manus peruenissent, bonâ fide retuleras, impudenter negas. Quicumq; illum cognouerunt, quorū pluri mi supersunt omnium ordinū viri, eum virum bonum, timentem Dei atque ab omni dolo & fraude alienissimū fuisse testabūtur. Si aliter de eo sentis, nā ipsi iniuriā facis, & alios ex tuo aut tui similibus ingenio metiris. At nullo præsente & conscio

litteras illas legit. Qui scire potuit, quid sibi litteræ illæ vel-  
lent, antequam eas, saltem obiter, inspexisset? Neq; semper  
ad manum habere potuit testes & notarios, quibus presenti-  
bus litterarum, quæ quotidie ad ipsum perferebantur, argu-  
menta cognosceret. Si litteras, alijs inscriptas, clausas acce-  
pisset, clausas reliquisset: cum autem resignata essent, viden-  
dum utique fuit, quid illis contineretur, & cur ad ipsum mis-  
sa essent. Et quia litteras illas à Baronio vestro (tunc Cal-  
uo vel Caluino, qui se hinc, priusquam res suas expediuis-  
set, subduxerat) scriptas esse intellexerat, ad maiorem rei cer-  
titudinẽ ex Dn. D. Pareo, domestico quondam illius prae-  
ceptore, percõtatus est, an manum agnosceret: quã agnitã, cum  
in illis nonnulla essent, quæ ad supremum Magistratum perti-  
nerent, non potuit, quin easdem illi offerret & traderet. Non  
verisimile, ais, ignotum ignoto misisse litteras. Atqui ita se  
res habet: & nihil frequentius est, quàm claros viros litte-  
ras etiam ab illis accipere, quos nec viderunt unquam, nec  
noverunt. Qua in re nullum alium volo testem, præter te i-  
psam, qui in prioribus tuis statim ab initio ita scribis: Mira-  
bere fortassis, doctissime D. Tossane, quod ignotus e-  
go ad te. Qui autem suas ignotis mittere non dubitant, cur  
non unã etiam alienas aliquando mittant? Neq; hoc novum  
est aut insolens, tenuioris fortuna homines quavis ratione, et-  
iam minus honestã, magnorum virorum gratiam captare. Ad  
summum verò Magistratum, ad quem tu putas litteras inter-  
ceptas rectã mittendas fuisse, non tam facile cuius, præsertim

circum-

circumforaneo, patet aditus. Possem nominare, qui ab eo tempore hominem illum, qui tuas interceperat, viderunt, apud quos hoc ipsum, quod patrasset, confessus est. Quæris quis fuerit? homo vagus, temulentus, nulli certa religioni addictus, quouis facinore & apud quosuis stipem aut mercedem querens: quales multi oberrant. Si tamen hoc adeò tibi incredibile videtur, ut etiam iurato fidem adhibere dubites: lege, si libet, Apologiam Herodoti, scriptam ab Henrico Stephano: ibi multa euenisse intelliges, quæ multò sunt creditæ difficiliora.

Pergis in tua epistola, & D. Tossanum p. m. accusas, quòd litterarum exemplar tibi vel Baronio non miserit. At qui potuit mittere, quod non habuit? Totum fasciculum, prout acceperat, superioribus tradidit, & hoc pacto se illo exoneravit. Si in vestris litteris non multa sæpe perniciofa & turbulenta misceretur, quæ vos meritò suspectos & exosos reddunt, tutius illæ ambularent. Quod ex tot detectis proditiõibus vestris, inprimis ex illo Garneti & ipsius sociorum in Angliã nuper admodum concepto facinore satis liquet. Conquereris deinceps, quòd D. Tossanus in sua responsione te societatem, Pontificem & Iustum vestrum petat & mordeat. Recognosce priores tuas, & dentes tuos caninos calamumq; viperinum agnosce. Verùm uno verbo tibi respondeo: si verum dixit D. Tossanus, patere: si falsum, ostende. Omitto illa minutiora, dum probare vis, ipsum æstu seu æstro quodam fuisse abreptum, cum scriberet: quia nempe post Exordium, cum

de re ipsa tecum agere vellet, his verbis usus est: Sed ad rem. Egregium verò tuæ subtilitatis documentum. Nimis iniquus es Censor, qui in alterius litteris ordinem requiras, & ipse in tuis nullum obserues. Tuæ enim ille quid aliud sunt, quàm scopæ dissolutæ & farrago quadam inanium verborum, quæ <sup>ἐστὶν ἄπειρος ἐπιτομή</sup> ~~ἐστὶν ἄπειρος ἐπιτομή~~. Si tamen tantus tamq; exactus ordinis in epistolis vindex esse cupis, Ciceronē prius corrige, qui in suis tantam semper ordinis rationem non habuit, & aliquando Attico suo <sup>ὁ ἄριστος ἄριστος ὁ μὲν πρῶτος</sup> ~~ὁ ἄριστος ἄριστος ὁ μὲν πρῶτος~~ respondit. Male te habet, quod D. Tossanus epistolam tuam Verbofam appellauit. Ipsa sui index & testis est. In iis, quæ planè sunt extra controuersiam, amplificandis & demonstrandis supra modum prolixus & ostentatus es, tibiq; idem accidit, quod illi apud Ciceronem, qui in re manifesta utebatur testibus non necessariis: at quod caput accusationis tuæ erat, D. Tossanum litteras alienas intercepisse, resignasse, miniasse, glossematū illustrasse, ne verbo quidem probas: & etiamnum à te peto, ut vel probes, vel te pro Calumniatore haberi patiaris. Cumq; nulli tibi usui esse possent ad causam probandam auctores illi, quorum scriinia compilasti, sanè non video, in quem finem à te fuerint adhiberi, nisi ut multiplicem lectionem tuam ostentares. Neq; tamen, ut tu ineptè colligis, D. Tossanus quemquam à bonorum auctorum lectione absterruit: sed eos cum iudicio, & ubi res postulat, adhibendos, non temerè & extra scopum allegandos aut congerendos docuit: quod in primis in epistolico scribendi genere est vitiosum. Cum verò nihil aliud, quod in D. Tossani

sani literis arraderes, haberes, uoculas quasdam carpis: ut mihi in memoriam reuocaris longum illud opus tuum, plurimis scriptorum testimoniis instructum, quod eo tantum nomine suscepisti, ut pro una uocula Hebraismi male à te interpretata supplicium de Drusio sumeres. Ex his autem uoculis mihi quod in philosophandi genere argumenta instituis. Tossanus in sua epistola usus est uocabulo Vah, admirationis aut insultationis nota. Eodem uocabulo utitur equus apud Iob, idololatra apud Esaiam, Iudaei apud Euangelistas (Latinè nimirum hi omnes loquuti) Ergo Tossanus est uel equus, uel idololatra, uel Iudaeus. Quidni talis etiam sit Hieronymus, qui eadem uocula utitur, ad Damasum: & alii multi pijs & sancti uiri? Quasi uerò asinis tantum, aut idololatri & Iudaeis aliquid admirari, aut alteri insultare liceat. An te horum non puduit, Serari, ut ea in abdito tui antri claustro continere non posses, sed triennio post obitum D. Tossani in lucem edenda iudicares? Tale & illud est: Vos in uestris Biblijs iuxta Hebraicam ueritatem (ut ipse agnoscis) uertere maluistis, in confesso derisorum, quam cum Pontificijs iuxta uersionem LXX legere, in cathedra pestilentiae. Ergo estis Nouatores, & uobis uolupte est nugari, & alios deridere. Hic non uides, quantas ipse nugas agas, & quam te etiam inuitis deridendum propines? Utrum uerò Hebraei fontes, an uersio LXX, antiquior? Nisi uos & maiores uestri Nouatores fuissetis, nisi ab antiqua fide, quam Christus & Apostoli traderunt, desciuissetis, de nouitate litem nobis non moueretis,

*sed veram antiquitatem nobiscum amplecteremini. Quomodo autem ex illa versione nostrorum interpretum colligis, D. Tossanum, qui nullam unquam versionem confecit, diu in illa pestilentia vel iuriforum cathedra sedisse? Planè apparet, te ista morbo scripsisse, non iudicio.*

*Sed iam repperisti, quo te vlscereres. Tossanus in suis litteris usus est voce ἀπαζας, cum ipsi currus & carrucæ suppeterent. Ergo ipse est ostentator. Atqui non ex eo te ostentationis arguit, quòd vocabulum Græcum, usu Prouerbii tritum, litteris tuis inserueris, sed quòd magnam coaceruaris testium nubem, ut probares, Solem meridie lucere. Quia verò hoc telo parùm ipse fidebas, aliud fortius adiungis, hoc modo: Tossanus, cum aquarum Siloæ meminisse vellet, Schilohæ scripsit. Hic serio triumphas. Vah, inquis, quis in Prædicante tantos Græcæ Hebraicæq; linguæ thesauros recòditos fuisse unquam putasset? Nempe quia nouum, quosdam ex nostris Græcè & Hebraicè doctos reperit. Quis ergo Hebraorum Græcorumq; fontium veritatem aduersus corruptissimam vestram versionem vindicauit? Sed, quæso te, optime Serari, quandoquidem in vestris Scholis Logicam non didici, huius argumenti consequentiam me doceas. Tossanus iuxta Hebraicam & Syriacam scripturam Schilohæ scripsit, quod Græci per simplex σ scribere solent: Ergo similis est illi, de quo poeta:*

*Chommoda dicebat, si quando commoda vellet  
Dicere, & insidias Arrius hinsidias,*

*Procul.*

Proculdubio si tempore Iephtes in Galaaditarum manus incidisses, actum de te fuisset, cum maluisses dicere sibboleth quàm schibboleth. Hac autem cauillatio adeò tibi arrisit, ut in ea immoreris etiam, & addas: Magnā ingentis cuiusdam & inauditæ sapiētiæ apud imperitos famam colligitis, cum in concionibus à vobis citantur Ieschahahu vel Ieschaia, Iirmeiah, Iechezkel. Quas tu nostrorum conciones audieris, nescio: nunquam pro concione Prophetas illos hoc modo allegari audiui. D. Tossanus ipse, quem scribis, te aliquando audiuisse concionantem, num aliter, quàm vos soletis, illos nominabat? Sed illa nomina, quæ sunt propria, ex Hebraicis fontibus petita in Scholis & inter doctos usurpare, cur maior sit ostentatio, quàm ipsum Hebraum aut Græcum textum legere? Eiusdem farinae est, imò maioris impudentia, quòd reprehendis vocem Iehouæ, quâ D. Tossanus in sua epistola usus erat. Dicis enim: quis Euangelistarum, quis Apostolorum, quis veterum Patrum, Græcorum & Latinorum, quæ in Occidentis Orientisve partibus Ecclesia ita vnquam Deum publicè aut priuatim vocauit? An verò arbitraris, Apostolos & Euangelistas, quosdam ex veteribus patribus in Occidentali & Orientali Ecclesia nunquam Hebraicè aut Syriacè loquutos? vetus Testamentum in sua originali lingua nunquam legisse, usurpasse? à prolatione nominis Iehouæ, quod ipse Deus sibi tribuit, instar Iudæorum hodiernorum abhorruisse? Nusquam apud Iosephum, Origenem, Hieronymum legi, hæc in

aut iactantiam esse, nomen Iehouæ seu voce seu scripto proferre: nec de sacrosancto nomine Iehouæ loquebantur Apostoli, cum prophanas vocum nouitates detestarentur, ut tu impiè arguis. Quàm nihil pro tua & Genebrardi, hominis maledicentissimi, insectatione faciat Beza in suis in prior. ad Timoth. annotationibus, locus ipse indicat. De prophanis enim vocabulis, ex prophano usu prophanisq; auctoribus petitis, loquitur, non de iis, quæ ex ipsis sacris litteris hausta, & eò gratiora nobis sunt, quòd ab ipso Deo manarunt.

Fastus vester ita euidentis est & omnibus apertus, ut non modò Protestantes, sed etiam plurimi Papatus assecla de eo conquerantur: & si illi tacerent, lapides loquerentur, hoc est, superba vestra collegia, quibus etiam magnifica regum palatia in certamen vocatis. An autem conueniat, eos, qui voto paupertatis se obstrinxerunt, & se pro pauperibus gerunt, tam splendidè habitare (ut de maximis vestris redditibus nihil dicam) iudicent prudentes.

Vos consecrari verborum phaleras & ampullas, si hætenus incertum fuit, prior tua epistola, quemadmodum & posterior, satis confirmat. Si aliud præterea exemplum petis, lege mihi Amphitheatrum honoris (horroris volebam) à Bonarscio quodam vestro, id est, Scribanio Antuerpie editum. Quid ibi præter phaleras, ampullas, & sesquipedalia verba? quid præter mendacia & calumnias? adeò ut si ad Iesuitas retulisset, quæ de Calvinistis fingit, latum capillum

pillum à vero non deflexisset. Bonus ille vir aliena & ascititia aliis obijcit, cuius totum opus ex alienis & ascititijs malè factum & confutū est, ut non verba rebus, sed res verbis quaesivisse palam sit. Paucula quadam ex uno aut altero poeta contra ipsum contorta ferre non potuit: at qui minùs hoc aliis pro veritate, quàm ipsi contra veritatem liceat? Alios vult ferro abstinere, cum ipse, lanista impurus, infesto maledicentissimi sui calami mucrone in optimum quemq; irruat. Atqui meminisse debuit, legem esse naturæ, ut si vita nostra in aliquas insidias, si in vim, si in tela aut latronum aut inimicorum incidat, omnis honesta ratio sit expediendæ salutis. Et, ut alij ferro abstineant, ab iis tamen, si sapit, sibi caueat, quorum iugulum cultro vestra societas petit, quos regnis & principatibus exuere satagit. Negas ex familia & disciplina vestra extitisse quemquam, qui hoc faceret? Dabo tibi duos testes omni exceptione maiores, qui etiamnum viuunt, Gallix & magnæ Britannix reges, qui pridem fato functi essent, si vestris conatibus fortuna respondisset. Darem & Pyramidem, quam ante paucos annos Lutetia pro foribus Palatij vidi: sed quia illa dolis atque artibus vestris diruta fuit, pro ea carmen hoc reponam, ut aliquã Scribanio gratiam pro iis, quæ nostris dicauit, referam:

Ut sceleris monumenta forent erasa nefandi,  
 Vestra, Loiolitæ, quod fuit aUSA manus:  
 Non mouisse loco, contra decreta Senatus,  
 Pyramidem, vestrum sic cumulando scelus,

Sed dentem, Regi quem vestri excussit alumni  
Dextra, loco decuit restituisse suo.

Quid iuuat immeritam ferro subuertere molem?  
Os loquitur Regis, fracta quod illa silet.

*Sed hac haecenus: redeo ad epistolam tuam, Serari. Quid de nostro ū doctrina aut eloquentia sentiatis, non laboramus. An illam admitemini, vos scitis: certè quòd ob eam quibusdam nostrum inuideatis, dissimulare non potestis. Praecipuum tamen certamen, quod nobis cum vestro grege est, non est eloquentiae aut eruditionis, sed veritatis doctrina, quam à nostris stare partibus iure gloriamur. Vinam verò quibusdam vestrum tantum conscientiae esset, quantum scientiae. Quorum barbariem & inscitiam Frischlinus riserit, & qui vulgatam Bibliorum versionem, in locis innumeris barbaram, mordicus tueantur, puto tibi constare. Verè autem tibi tuisque (epistolae tuae filium sequor) à D. Tossano exprobratum, vos in thesi esse disertos, cum ad hypothesin veniendum, fluctuantes atq; inermes: iam supra satis ostendi, & ex tuis ipsius verbis liquet. Cum meas, inquis, abs te litteras violatas questus sum, cum grave hoc scelus ostendi, nonne hypothesis erat? Alterum quidem, litteras tuas à D. Tossano violatas fuisse, hypothesis erat: alterum, graue hoc esse scelus, thesis. Prius illud, quod erat χρινόμενον, nullo argumento, nullo testimonio probasti, cum tamen illud Philosophi reminisci debuisses: ἐχ' ἰχθύν τὸ ἔτως εἰπόντα ἀπὸ πλάχθαι. Questus quidem es de iniuria tibi à D. Tossano facta:*

*sed*

sed iniuriam tibi ad ipso factam, non doces: quin hoc ipso magna eum iniuriâ afficis, dum falsò accusas. The sin autē illam, scelus esse, aliorum literas violare, operosè absq; ulla necessitate probas: Ergo in ipsa hypothesis planè te inermem declarasti, cum ex multiplici illa tua lectione ne unicum telum depromere potueris, quo aduersarium laderes. Risi equidē, cum scribis, D. Tossanum à te mutuatū S. Augustini sententio- lam: alioquin ne stipulam quidem in sua pharetra habiturum. Nimis gloriose te effers, qui quidquid est Patrum te solum deuorasse putes, ut aliis nihil reliqueris. Sed si D. Tossani opera diuersis temporibus edita paullo attentius legisses, multas in illis ex Augustino aliisq; S. Patribus contra vos allegatas sententias inuenisses, quas à te mutuatum esse, ne ipse dixeris. De libro Tobia apocrypho disputationem tecum hoc tempore non ingrediari, ne modum excedam epistola: si habes, quæ de eo peculiaria pro vestra sententia afferas, non deerunt ex nostris, qui respondeant. Nam illa nimis trita & iam toties discussa, ut de epistola Iacobi, de qua idem sensit Eusebius, quod Lutherus, quorsum toties cum nausea repetere?

Ceterum non miror, te mentione Arnaldi obiter à D. Tossano iniectâ, non nihil fuisse commotum. Cuius Arnaldi? Protestantis alicuius? imò verò, qui zelo Religionis Papisticae (si zelus dicendus est) ipsi Serario non cedit. Quid ille? Caussam dixit contra Iesuitas in amplissimo sanctissimoque totius Gallia iudicio, eosq; grauisimorum scelerum reos per- egit. Cuius nomine? an suo? nequaquam, sed Vniuersitatis

Parisiensis. Huius auctoritatem atq; in vestros actionem non tam facile eludes, Serari: nec notam tunc illis in celeberrimo totius orbis theatro à iudicibus Catholicis iniustam, vlla vel Steuarti suada, vel Gretseri sophisticè eluet. Insidias regibus à vestra secta structas, si frontem haberetis, non iretis inficias: cum recens, idq; clarissimum, in Anglia exemplum nuper accesserit.

Restat illud de Pontifice vestro, cui obiectum à D. Tossano fuit, quòd de omnibus criminibus dispensare soleat. Hic tu partim inscitiam, partim maledicentiam D. Tossani taxas. Videamus, tibi ne illi hæc elogia competant. Negas Pontificem vllum in peccatorum minimo dispensare: aliud esse dispensare, aliud absoluerè. An tibi cum fungis & stipitibus rem esse putas? auden' negare, quod Bellarminus tuus affirmat, quod Gratianus, quod Caietanus, quod Fumus, quod Capistranus, qui scribere non erubuit: Papa dispensare potest contra auctoritatè Apostoli, quia Papa est maior Apostolo. Quid verbis opus est? Nonne Papa dispensat in gradibus consanguinitatis & affinitatis diuinà lege prohibitis? vis exempla: adi modernum regem Polonia: reuoca in memoriam Philippum Hispanum, qui neptem suam duxit. Et quid, quaeso, sibi vult isthæc glossa in Gratianum: Hoc fuit nimium Papaliter dispensatum. Vt autem ex hoc dispensationis aculeo feliciter eluctareris, veram fidem, quam ex verbo Dei & sanctis Patrum monumentis hausimas, scopiticè exagitandam sumis. Quis verò nostrum, vt tu perhibes,

veram

veram fidem, quâ iustificamur, à vera penitentia & conuer-  
 sione ad Deum seiunxit? quis caelestem hereditatem à p. ven-  
 tum nostrorum semine nobis conferri scripsit? Quod autem  
 fides absq; operibus nos iustificet, quod Dei gratia Sacramen-  
 tis non sit alligata, quod Abraham ante Circumcisionem iu-  
 stificatus, Cornelius ante Baptismum Dei acceptus fuerit,  
 docent sacra littera, quibus tu frustra oppedere conaris. Quae  
 ex Ambrosio de Penitentia citas, faciunt contra te &  
 Papam tuum. Nam quia Papa Petri fidem non retinuit, fru-  
 stra de ipsius hereditate gloriatur: quia illud ligare & sol-  
 uere Sacerdotibus promiscuè, id est, Euangelij ministris, non  
 soli Papæ concessum esse docet Ambrosius, Pontifices vestros  
 damnat, qui soli hanc habere potestatem volunt. Hæresin qui-  
 dem & hæreticos semper habetis in ore, sed ipsi principes estis  
 hæreticorum.

Quid caussa illos moueat, qui à vobis ad nos transeunt, ut  
 relictis honoribus, delicijs, facultatibus, parentibus, amicis, vl-  
 trò paupertatem, odium & ignominiam coram mundo subeant,  
 ex re ipsa & ex publicis eorum Confessionibus, quibus sua Fi-  
 dei & conuersionis rationem reddunt, non ex tua calumnia,  
 existimandum censeo. Neque solum pauci quidam monachi,  
 quod tu suauiter somnias, sed multi quotidie, omnium ordi-  
 num præstantes viri, & plures quàm velletis, vestram quoque  
 familiam non exceptam, à Papatu ad nostras Ecclesias transiti-  
 onem faciunt. Intolerabile quidem est Pontificis vestri inter-  
 dictum, quo Ecclesiasticis sacrosancto coniugio contra expref-

sum Dei verbum & veteris Ecclesie praxin interdicit: interim cum ad scortationes, adulteria & alia etiam graviora flagitia connueat, qua seuerè apud nos puniuntur, nulla est ratio, cur quis propter carnis libidinè à vobis ad nos transeat. Sed & alia sunt in vestro Papatu planè impia & detestanda, ob qua ab omnibus pijs, quibus sua salus cordi est, meritò deseritur. De diuitiis Papæ, quibus artibus illas corraserit, quo iure possideat, loquuntur historia: & tamen ferre possemus, vt diues esset, & de regnis terræ cum Principe huius seculi pacisceretur, nisi tyrannidem in Ecclesias & conscientias exerceret, & Christum non exigua sui muneris & honoris parte priuaret. Smidlinus, Kemnicus, Bugenhagius nihil ad nos. Diuitias per se non damnamus, modò iustè sint partæ. Pontificem Romanum esse caput vniuersæ per totum orbem Ecclesie negamus, quia hoc soli Christo competit. Seruatores quosdã in scripturis vocari, licèt ὀνομαστος; nonnullis Capitibus vel Capitanei nomen tribui posse non diffitemur: sed quid hoc ad vniuersalem monarchiam & summum in omnes Ecclesias imperium, quod Papa vester affectat, nos solius esse Christi contendimus? Anglia regina, cum viueret, caput fuit regni sui, & Ecclesie, qua in eo: quandoquidem omnis anima potestatibus supereminens subiecta esse debet. Petrus cum scriberet Ecclesijs per Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam & Bithyniam dispersis, Subiecti estote, inquit, cuius humanæ ordinationi propter dominum, siue regi, vt qui superemineat, siue præsilibus,

etc.

Et c. Hac Pauli & Petri præcepta an sacerdotes quoq; & monachos tangant, consule inter alios Chrysostomū & Bernhardum. Quousq; autem se extendat potestas regia in Ecclesiasticis, explicarunt alij: nunc non est dicendi locus. Multa interim vos audire de hoc & illo Theologo, vt de Wittacero & alijs, non dubito, quibus temerè creditis: quia tamen nugis & fabellis delectamini, ijs vos pascatis per me licet.

Chrysost. in  
Rom. 13.  
Bernhard.  
epist. 42.

Quod ad societatem Iesu attinet, non solum Protestantes, sed etiam Pontificij quidam vobis vitio vertūt, quod eam sectæ vestræ propriam facitis: cum omnes, qui Iesu Christo nomen dederunt, & in ipsius nomen baptizati sunt, societatem quoq; siue communionem cum illo habeant: quam D. Tossanum p. m. verè habuisse, & nunquam ab ea descivisse, sancta ipsius vita & mors satis comprobavit. Quod verò scripsit, se in Baptismo in eam societatem transivisse, nostræ, id est, Apostolicæ doctrinæ non aduersatur. Tamen si enim Deus etiam ante Baptismum, prout ipsi placet, nos iustificet & sanctificet, sicut Abraham ante Circumcisionem iustificatus fuit, & sacramenta non in eum finem accipimus, vt illa nobis ex opere operato gratiam & salutem conferant, sicut vos impiè docetis, sed vt eam nobis declarent & obsignent: tamen rectè dicitur, nos in Baptismo in Christi societatem transire, quia tunc solenni ritu coram Ecclesia in eam inauguramur & confirmamur. Nec quicquam obstat, quò minus fidelium liberi, qui etiam ante Baptismum gratiâ & spiritu Christi iustificati & sanctificati sunt, in Baptismo iustificationis & sanctificationis

sigillum accipiant: sicut nihil impedit, imò prodest. post acceptum gratis à rege aut Principe aliquo fundum seu prædium, literis & sigillis eam donationem postea confirmari. Deniq; cum vestram Ecclesiam haud solo nomine, sed reuera Catholicam & Apostolicam Ecclesiam esse docueris, libèter ad eam conuertar. De societate vestra non laboro: nam ea recens est, & ante eam omnibus pijs & in unicum Seruatorem suum fiduciam omnem collocantibus celi ianua patuit. D. Tossanus autem sancta memoria nunc in beato angelorum filiorumque Dei cætu in calis, ab omnibus tyrannorum & sycophantarum telis liber, viuit & triumphat: quò si aspiras, Serari, tandem aliquando ab Antichristi in Christi castra & societatem transi. Vale.

F I N I S.

...  
...  
...  
...  
...  
...  
...  
...  
...  
...  
...

R E

A I

Ortho  
trin  
asser

*O profu*  
2

Exo

